


SANCTORUM PATRIARCHARUM, ET PROPHETARUM, CONFESSORUM. PONTIFICUM, ET...

Giacomo Laderchi, Josè Maria Fonseca de Evora




37
15 B
13





SANCTORUM

PATRIARCHARUM,

ET


PROPHETARUM,

CONFESSORUM, PONTIFICUM, ET NON PONTIFICUM:

VIRGINUM, ET NON VIRGINUM

Cultus perpetuus.

IN CATHOLICA ECCLESIA




Aſſertus, ac Illuſtratus

A' JACOBO DE LADERCHIO

Congregationis Oratorii Urbis Presbytero.

Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. *Pſ. 149. v. 9.*





ROMÆ, MDCCXXX.


Ex Typographiâ Joannis Baptiſtæ à Caporalibus.

SUPERIORUM PERMISSU.

REGINÆ



SANCTORUM OMNIUM.



OPUS hoc qualecumque sit

JACOBUS DE LADERCHIO

Congregationis Oratorii Presbyter

Sanctorum cunctorum ultimus cliens

Humiliter

D. D. D.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palat. Apoſtol. Magiſtro.

N. Baccarius, Epiſc. Bojan. Vicesg.



IMPRIMATUR.

Fr. Jo:Benedictus Zuanelli, Ordinis Prædicatorum, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

CATHOLICO, AC PIO
LECTORI.

JEſus Chriſtus heri, & hodiè, ipſe & in ſæcula.] ſcribit Apoſtolus; poſt quæ ſtatim addit. [Doctrinis variis, „ & peregrinis nolite abduci.] [Ideſt (explicat An- „ ſelmus) Doctrinis Pſeudo-prædicatorum variis, ideſt di- „ verſis, & à ſe invicem multiplicitèr differentibus, ac „ diſcordantibus, dum alius alium errorem docet, & alius „ alium, ſibique viciſſim contraria prædicant: & peregrinis, „ ideſt à Catholica veritate alienis.] Et inter hos quidem meritò cenſendi ſunt illi, qui, ſicùt Jeſus Chriſtus heri, & hodiè fuit, eritque in ſæcula; ſic Sanctam Catholicam Eccleſiam, nunc non eſſe, ac heri, & nudiuſtertiùs, multipliciter comprobare connituntur: cum modò nimirùm, fidei dogmata nunc ab illa aliis formulis ab antiquis tradita; modò Sacramentorum materiam, & formam à præſenti aliam; & ipſa quidem Sacramenta, diverſa ratione olìm ab ea, qua nunc ab ipſa miniſtrata; modò alios, ac alios ritus, cultuſque, quos anteà, vel uti ſuperſtitioſos abjecerat, vel ſaltèm penitùs ignoraverat, vel ab Idololatris, vel aliundè acceptos, Eccleſiam ipſam ſuperinduxiſſe, editis quoque, quas vocant, eruditis Diſſertationibus, in quibus alius alium erroris arguit, effutire non erubeſcunt. Quo quidem infauſtiſſimo conatu, quin Eccleſiaſticam antiquitatem (uti perperam jactant) elucident, eam, quæ inter præcipuas veræ Eccleſiæ notas meritò recenſetur, venerandam videlicèt, perpetuamque antiquitatem, Eccleſiæ ipſi ſenſim turpiſſimè detrahunt; Calvinique, & Lutheri, hiſque ſimilium S. Romanæ Eccleſiæ perduellium, qui ipſam, poſt tria priora ſæcula innumeris ſuperſtitionibus mirè fœdatam contendunt, nefarios niſus improbiſſimè juvant; dum plura ex his, quæ diximus in primæva Eccleſia inaudita, ac poſterioribus dumtaxàt ſæculis recens inventa, uti ipſi ſentiunt, comprobare moliuntur.

Ad Heb. Cap. 13.

Nos

Nos autem, illis sepositis, quæ ad Sacramenta, sacra dogmata, & his similia pertinent: quorumvè perpetuam antiquitatem, ut egregiè præclarus ille Thomas Bozius adnotavit, nec quidem Hæretici diffitentur: [Magdeburgenses enim (ejusdem Scriptoris sunt verba) in suis Centuriis tradunt, ipso Apostolorum sæculo, antiquissimos omnium Patres, nobiscum sensisse in iis, de quibus inter nos, atque illos certatur; adduntque hos esse in illis nævos, quos in nobis Hæreses atrocissimas vociferantur.] Post propugnatam, & nonnullorum in particulari, & omnium simul Actorum SS. Martyrum ab Ecclesia receptorum, venerandam antiquitatem; in præsenti hoc Opusculo (Catholice, ac Pie Lector) cœterorum quoque Sanctorum, perpetuam venerationem, ac cultum vindicandum suscepimus, quòd ab iis ipsis, à quibus SS. Martyribus, universè cœteris Sanctis quoque, diversa licèt ratione, eodem tamen animo detractum animadverterimus. Nam si Martyrum Acta, ad fabulas ipsi amandant, ut eorum cultum, venerationemque dejiciant, SS. non Martyrum Acta quidem diffiteri erubescunt, sed cultum negant. Quo quidem Hæreticorum impiis assertis nil favorabilius in medium produci potest, cum fictitiis Martyribus ab Ecclesia propositis, stolidus per consequens cultus exhibitus ostenditur; & aliis Sanctis, quibus prioribus sæculis nunquam idem præstitus cultus; corruptis, (ut ajunt) ac posterioribus, quodammodò indebitè, comprobatur collatus.

Thom. Boz. de signis Eccles. Dei Tom. I. Cap. 9. pagin. 114.

Rem ab ovo, ut dicitur, idcircò, qua majori potuimus brevitate, enucleandam suscepimus: Et in primo quidem Libro venerationem, ac cultum in Synagoga anteà, deindè in Ecclesia, SS. Patriarchis, ac Prophetis præstitum demonstravimus. In secundo cujusvis generis Sanctis, cujusvis sexus, qui Martyrio perfuncti non fuerunt, à Primo Ecclesiæ Sæculo, usque ad Septimum, venerationem, cultumque exhibitum ostendimus. Ultra autem Septimum Sæculum hujusmodi cultus, ac venerationis argumenta, ac testimonia proferre, ac de illis differere, non necessarium, sed superfluum judicavimus, ex eo potissimùm, quòd,

non

non Catholici universi modò, sed Hetherodoxi ipsi, quin id inficientur, hoc è contra potiùs argumento utuntur, ut posterioribus Septimo sæculis, cultum ipsum tantum introductum ostendant: quare (inquam) de re, de qua nemo ambigit, disputationem instituere supervacaneum judicavimus.

Ad ea verò comprobanda, quæ in hoc præcipuè Secundo Libro asseruimus, non aliundè ferè testimonia, ac argumenta mutuati sumus, quàm ab Operibus Scriptorum, qui maximè ipsis Pseudo-censoribus probantur; ne videlicet, conspuere, floccique habere eos audeant, quorum dicta, sententias, narrationesque, in cœteris, tamquam Divina quædam oracula, recipi, revererique contendunt.

In Tertio demùm Libro eorumdem Pseudo-censorum argumenta, contra receptissimum, ab ineunte Ecclesia Sanctorum non Martyrum cultum proponuntur, ac diluuntur. Et, ut totius Operis ideam, scopumque tibi, Pie Lector, uno verbo exponamus; quo ad Sanctorum, sive Martyrum, sive non Martyrum cultum, nihil in Ecclesia Catholica novum, nihil quoad substantiam superinductum, præ oculis Tibi exhibere studuimus. Vale.



APPROBATIO.

MAndatis Reverendissimi Patris F. Joannis Benedicti Zuannelli Sacri Palatii Apostolici Magistri studiose obsecutus, sedulò evolui Librum inscriptum *Sanctorum Patriarcharum &c.* Authore Jacobo de Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero. Prælaudatam venerationem adamussim insequitur sapientissimus Author, præclaro hoc in Opere perfectè callens condignum mei Melliflui effatum (1) *Quamquam bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur: planè quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum.* Decet quidem (2) *Laudari viros gloriosos in generatione sua, homines divites in virtute.* Verùm quod maximè semper decuit, his potissimùm temporibus, quibus Sanctorum venerationis cultus Hæreticorum conatibus concutitur; undè videtur quædam veluti necessitas postulare, palàm ostendere cuncta per sæcula debitum virtuti honorem, cultumque in Sanctos numquam omissum, sed continuò præstitum, prout in hujus Operis exaratione evincitur; & utinam convincantur tot involutæ errorum tenebris aberrantium mentes, simulve irradientur (3) *In splendoribus Sanctorum*, neve eorumdem obsequii cultum amplius ad fabulas convertant. Quapropter arbitror Librum istum prælo dignissimum, nec in eo contineri quidpiam vel piis moribus dissonum, vel sacris paginis absonum. Salvo &c.

(1) *Serm. 5. in fest. omn. SS.*

(2) *Eccl. 44.*

(3) *Psalm. 109.*

Ex Monasterio S. Bernardi de Urbe die 24. Novembris 1729.

D. Jo: Baptista Fiorentini Sac. Congr. Indicis, & Rituum Consultor.

APPROBATIO.

JUbente Reverendissimo Patre F. Joanne Benedicto Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apostolici Magistro: Librum, cui titulus *Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, Confessorum Pontificum, & non Pontificum, Virginum, & non Virginum Cultus Perpetuus in Catholica Ecclesia assertus, & illustratus* à Jacobo de Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero — non minori diligentia, quàm voluptate perlegi. Opus tanto Authore dignum, undequaquè præclarum, à quo tota Litteraria Respublica è tenebris erutum sanæ, ac sanctæ eruditionis lumen percipere, valet; Nàm omni eo, quod in priscis Ecclesiasticis Hystoriis reconditum, & quod in recentioribus discussionibus elucubratum invenitur, in novam lucem edito: senescentem jam Cultum Sanctis non Martyribus præstitum, à primævis pubescentis Ecclesiæ incunabulis ortum, nobili paritèr, atque erudito calamo demonstrat. Quapropter Opus hoc Fidei Orthodoxæ innixum, Catholicæ Veritati innoxium, Sacris Ritibus consentaneum, non solum publica luce, sed laude dignissimum censeo.

Datum Romæ in nostro Conventu S. Mariæ de Victoria hac die 15. Nov. 1729.

F. Camillus à Purificatione Carmelita Excalceatus Sac. Theologiæ Lector.

SAN-

SANCTORUM PATRIARCHARUM, ET PROPHETARUM, &c. CULTUS PERPETUUS.

LIBER PRIMUS,

In quo, de veneratione Synagogæ primùm, deindè Ecclesiæ in Sanctos Veteris Testamenti potissimùm agitur.

CAPUT PRIMUM.

Cur, nec Aris, nec Templis, nec Natalitiis Sanctos suos Synagoga excoluerit? Omnem nihilominùs eorum venerationem ablegasse putandum non est. Ipsorum gesta condignis est laudibus prosequuta.



VETERIS legis Sectatores Hebræos, nec Templis Deo, in eorum honorem dicatis, neque Natalitiis Solemnitatibus Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum memoriam celebrare consuevisse; omnibus in aperto est. Cur autem ab his abstinuerint, Joannes Damascenus his verbis docet. [Adhùc execrationi obnoxia erat natura humana: & mors erat supplicium, & mulcta; Itaque deplorabatur, & qui mortui cadaver attigerat, putabatur immundus]. Ante Christum enim, nondum tunc propalata Sanctorum via, ut loquitur Apostolus, nemo quantumvis justus, & Sanctus inferebatur Cœlo; sed mortem Pontificis Maximi expectare cogebatur, æquè ac profugi illi quondam, in typum hujus veritatis. *Numer.25.*, ut optimè *S. Cyrillus lib.* 8. *de adoratione*; & *S. Gregorius Homil.6. in Ezechielem*

S.Jo:Damascen. p.3. de Imagin.

Heb.9. v.8.

lem intellexerunt; ideòque, uti modo, nec Sanctorum mors annuis laudibus celebrabatur, & Templa Deo in eorum honorem minime constituebantur: quia post Redemptoris tantum adventum: [Natura nostra, (inquit Damascenus idem), ex „ quo Divinitas illi, tamquam medicamentum quoddam, vitam „ atque salutem afferens conjuncta est, gloriosa evasit, & ad in„ corruptionem accipiendam idonea]. *Ibid. ut supra.*

At quamvis summis hujusmodi honoribus, eosdem Sanctissimos Viros Synagoga minimè prosequuta sit; non idcircò putandum esse, erga eos venerationem omnem neglexisse, Divina ipsa Scriptura testatur, (aliis studio prætermissis) Ecclesiastici cap.44., ubi ejusdem Synagogæ Filii, ad laudes, & præconia Beatissimorum Patriarcharum, & Prophetarum excitantur, & illorum præclara facinora, longo dictamine recensentur. [Laudemus Viros gloriosos (dicitur ibi), & parentes „ nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus „ magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, „ homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nunciantes „ in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præ„ senti populo, & virtute prudentiæ sanctissima verba. In pe„ ritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina „ Scripturarum. Homines divites in virtute, pulcritudinis stu„ dium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in „ generationibus gloriam adepti sunt, & in diebus suis haben„ tur in laudibus &c.]. Et paucis interjectis *cap. eod. v.*10. [Sed „ illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: „ cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepo„ tes eorum, & in testamentis stetit semen eorum,& filii eorum „ propter illos usque in æternum manent: semen eorum, & glo„ ria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace se„ pulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & gene„ rationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem „ eorum nunciet Ecclesia]. Ab Henoch deinde, usque ad Simonem Oniæ, Patriarcharum, & Prophetarum, aliorumque plurimorum Sanctorum virorum insignia gesta commemorantur, dignisque laudibus exornantur.

CAP. II.

C A P. I I.

Quos Deus maximè honorificavit veteris Testamenti Sanctos, Synagogam venerari decuit. Ipsos eo est cultu prosequuta, quo apud Deum Sancti Intercessores adhibentur.

ET reverà non laudibus modo, sed quacumque fas erat veneratione eos Synagoga colere debuit, quos adeò à Deo Optimo Maximo honoratos sciebat: [Ut non confunderetur, ut dicit Apostolus, (idest, inquit Anselmus): [non erubesceret „ vocari Deus eorum; dum dicit. Ego sum Deus Abraham, „ Deus Isaac, Deus Jacob; hoc mihi nomen est in æternum. „ Quia enim (subdit) tres isti Patriarchæ optimi servi fuerunt; „ idcircò Deus, ex quadam familiaritate, & privilegio voluit „ Deus eorum vocari, tamquam illorum solorum esset Deus, „ qui Deus est universæ creaturæ, non frustra utique tantum „ eis tribuens honorem]. Honorem autem his, & aliis Sanctissimis Viris à Deo amplissimè tributum, ritè admiratus David, „ [Mihi autem (inquit) nimis honorati sunt Amici tui Deus, „ nimis confortatus est principatus eorum.]

Hebræor. c. 11. v. 4.
S. Anselm. ibid.
Psalm. 138. v. 16.

Quos igitur apud Divinam Majestatem sic pollere gratia Judæi perspicuum habuerunt; hos eo genere cultus prosequi studuerunt, qui in eo est, ut sibi quis, per eorum merita, vel delictorum veniam, vel gratiam, & misericordiam deprecetur. Qua quidem oratione usus est præclarissimus ipse Legislator Moyses, cum ad Cælestem avertendam iram, dixit: [Recor- „ dare Abraham, Isaac, & Israel Servorum tuorum, quibus „ jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo Semen vestrum, „ sicut stellas Coeli &c.] Et alibì, ubi ipsa ejusdem Moysis oratio refertur, iisdem ferè verbis exprimitur. [Recordare Servo- „ rum tuorum, Abraham, Isaac, & Jacob: ne aspicias duri- „ tiam populi hujus, & impietatem, atque peccatum.] In quæ verba Theodoretus: [Observandum est igitur, (dicit) Moy- „ sen, cum legationem suam ad Deum placandum non satis „ idoneam esse existimaret, Patriarcharum quoque nomina in „ patrocinium invocasse.]

Exod. 32. v. 13.
Deuteron. XI. v. 27.
Theodoret. in caten. Lipoman. in cap. 9: Exod.

Id magis etiam perspicuum reddit Azariæ oratio, in medio camino ignis ardentis facta, in qua, inter coetera, ista offenduntur. [Neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter

Daniel. c. 3. v. 24. & 21. 31.

„ Abraham Dilectum tuum,& Iſaac Servum tuum,& Iſrael San-
„ ctum tuum.] In quæ etiam verba, quem memoravimus ſcribit
Theodoretus. [Tum etiam Patrum nomina commemorat,
„ ut memoria juſtorum, bonum Dominum provocet, ad miſe-
„ ricordiam.] [Admonemur enim, (dicit Auguſtinus) cum
„ delicta noſtra nos gravant, ne diligamur à Deo, relevari nos
„ apud Deum illorum meritis poſſe,quos Deus diligit.] Idcircò,
& Azarias, & præcipuè Sanctus Moyſes interceſſores apud
Deum Sanctiſſimos Patriarchas, eorumque præclara merita,
pro Iſraelitico populo, qui peccaverat adhibuit; quia, (inquit
„ Auguſtinus idem): [Patres, qui diliguntur, inducit pro filiis,
„ qui offendunt: quia bona Sanctorum Patrum, ſæpè ſubve-
niunt filiis]. Quapropter, ad juſtam Dei iram leniendam, ſin-
gula eorum trium Patriarcharum in nominibus merita recen-
ſere videtur, utea, videlicet, ſuppliciis, quæ juſtè Iſraelitæ
ſubire pro iniquitate debuiſſent, opponat. Ac ſi diceret Moy-
ſes, inquit Lyranus: [Si Populus meruit mori per incendium:
„ Ecce Abraham Pater eorum, propter amorem tuum proje-
„ ctus fuit in ignem Caldæorum. Si per gladium, ecce Iſaac
„ paratus fuit pro te immolari. Si meruerunt exilium, ecce
„ Iſrael tamquam exul fugit in Meſopotamiam, obediens Patri
„ ſuo, & tibi.]

Theodoret.adLyran. in Daniel. cap.3.
D.Auguſt.qu.149.
Ibid. ut ſupra.
Lyran. in c.32. Exod.

Ne verò exiſtimari poſſit, trium horum Patriarcharum tan-
tum intercedentibus meritis, Judæos ſe aſſequuturos ſperaſſe
miſericordiam, & veniam; illud vetat, quod alii quoque ve-
teris Teſtamenti Patres, apud Deum commemorati reperiun-
tur, ut eorumdem ſpectabilibus virtutibus motus, illud quod
poſcebatur, impertiri dignaretur: uti illud Salomonis: [Do-
„ mine Deus, ne avertas faciem Chriſti tui:memento miſericor-
„ diarum David ſervi tui]. Cui conſonat, quod habetur in Pſal-
mo: [Memento Domine David,& omnis manſuetudinis ejus]. Et
„[Propter David ſervum tuum,non avertas faciem Chriſti tui].
Quæ verba diſertè ſic Joannes Lorinus interpretatur: [Paulò
„ ante monui, vel David nomine intelligi Chriſtum ipſum, vel
„ Davidem de ſe ipſo loqui, vel eumdem de filio ſuo Salomone,
„ quem appellat Chriſtum Domini; vel Salomonem, de Davi-
„ de Patre ſuo, orando pro ſeipſo Chriſto, ac Rege, per meri-
„ ta illius, vel populum, aut quemlibet particularem orare per
„ ejuſdem Davidis meritâ:vel per hæc eadem,pro adventu illius,
„ qui κατ' ἐξοχὴν Meſſias eſt, ſive Chriſtus, Deus ſimul, & homo].
Et ſtatim addit: [Agnoſcit hoc loco Calvinus Davidem me-
„ diatorem, ſed umbratilem tantum. Poſtquam verò advenit
„ Chriſtus, & Sacrificio peracto, Cæleſte Sanctuarium ingreſſus
„ eſt,

2. Paralipomen. 6.v.42.
Pſalm. 131.v.1.
Ibid.v. 10.
Joan:Lorin.Comment. in Pſalm. 131. Tom.3. pag. 677.

„ est, alio mediatore, nec opus esse, nec utendum esse.] Cui Lorinus. [Necessarius quidem alius mediator non est, nec „ quisquam, præter Christum, potuit eo munere perfectè fungi, ut exactè intercederet, ac satisfaceret Deo pro nobis. Nihilominus utilis Sanctorum invocatio, intercessio, mediatio „ est apud eumdem Deum, apudque Mediatorem Christum, ex „ cujus meritis vim habent merita ipsorum, atque suffragia, ut „ nobis facilius gratiam impetrent.]

Sed quod addit profectò palàm ostendit, quàm æquo jure Veteris Testamenti fideles Sanctorum Patriarcharum, ac Prophetarum, apud Deum pro se merita interponerent, ut ea, quæ poscebant facilius obtinerent; nam dicit: [Valet hic præterea locus, juxta eum sensum, qui est de adventu Christi, „ ut probetur non nihil Davidem, & alios veteris Testamenti „ Patres meruisse incarnationem Christi. Etsi verò iste, ac similes dicendi modi possint innuere Divinas promissiones, de „ mittendo Christo; attamen potuit quoque Deus, ad promittendum his potius, quàm illis moveri, *propter* merita eorum: & „ particula *propter*, ad personas applicata, propter quas aliquid „ petitur, innuit in illis nonnullam rationem meriti.] Et quidem (ut dicitur) de congruo. *Ibid. ut supra.*

Quæ si ita se habent, manifestissimè patet, (inquam) quàm æquo jure Judæi, præ Divinis oculis Sanctorum Patriarcharum, ac Prophetarum merita proponerent, illosque apud eandem Divinam Majestatem intercessores adhiberent, ut illorum suffragantibus meritis, quæ dignè postulassent, consequi mererentur: nam ipsa eorumdem merita, tantum apud Deum valuerunt, ut non modo quælibet beneficia impetrare, sed summum etiam illud Incarnationis, quod omnibus præstat, congruè consequi posse, illis sperare fas esset. Quare quod Græci explicant apud præfatum Lorinum, ne Deus spernat Christum, ideft Regem; præclarè Apollinaris his carminibus exprimit:

Εἵνεκα Δαυΐδου μεγαλοσθενέος θεράποντος, Μήποτε
σὴν χριστοῖο μετατρέψειας ὀπωπήν.

„ [Propter David magnanimum Famulum: nequando tuum à „ Christo avertas vultum.]

CAP. III.

C A P. III.

Quæ afferri possent his opposita argumenta diluuntur.

NEque his obstant, quæ habentur Jeremiæ *Cap. XVI. v.* 1., ,, nimirùm : [Si steterit Moyses, & Samuel coràm me, ,, non est anima mea ad populum istum] . Quasi, videlicet, orare, ac intercessorum officio Samuelem, & Moysem Deum perfungi noluerit. Quod siquidem, si fuisset, Judæos Sanctorum eorumdem merita, ac preces, apud Divinam Majestatem, vel non interposuisse, vel interposuisse frustra dicendum esset. Verùm præfata verba sic accipienda non esse, manifestè ostendunt, ad eumdem Jeremiam verba à Domino dicta *Cap. XI. v.* 14. ,, [Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis ,, laudem, & orationem, quia non exaudiam in tempore clamo- ,, ris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.] . Quis enim ritè his verbis censere poterit Deum, omninò pro populo orationes fundere Jeremiæ prohibuisse, quem non modò absolutè (inquit à Lapide), ab oratione cessare non volebat, quinimò ab ea cessare nolebat ; quod quidem sciens Propheta, pro populo ipso orare perrexit ? Et quidem hoc sensu, de Moyse, & Samuele dicta sunt interpretranda. Non enim ait Dominus (scribit Interpres idem), se Moysis, & Samuelis, ex eo preces non auditurum, quod nihil illæ valerent; sed quod populi scelera tanta essent, ut indignus esset, pro quo Moyses, & Samuel audirentur. Sicut Pater iratus, filio dicere solet : Noli orare pro isto servo nebulone, nam nisi fustes meretur, & fuste contundam eum.

Et sic pariter intelligenda, quæ, inter alia, habentur *Ezechielis Cap. XIV. vers.* 20. [Et Noe, & Daniel, & Job fuerint in ,, medio ejus : Vivo Ego, dicit Dominus, quia filium, & filiam ,, non liberabunt.]

Imperitè Hæretici (scribit idem à Lapide), hoc loco abutuntur, ut ex eo probent, Sanctos in Cœlis non esse invocandos. Nam primò, Noe, & Job hoc tempore Ezechielis non erant in Cœlo, sed in Limbo, idest in statu non beatitudinis, & visionis, sed pœnitentiæ, & caliginis. Daniel verò in terris vivebat. Ex quo, juxta argutationem Hæreticorum, à pari inferendum esset, non esse poscendas preces justorum adhùc viventium, quas tamen sæpè exposcit S. Paulus, postulans, ut fideles

orent

orent pro se, & pro gentium conversione, ac Evangelii propagatione. Secundo, non vetat hic Deus, ne Sancti invocentur,
„ [sed asserit se eos non exauditurum, non quod eos non amet,
„ vel alias non exaudiat; sed quod jam tanta sint Judeæ scelera,
„ & obstinatio, ut eam prorsus, per Caldæos vastare decreverit,
„ nec ullius precibus flecti se sinet, ut illi parcat. Alias enim
„ constat *Danielis C.*9.15 Judæis pœnitentibus, libertatem è ca-
„ ptivitate Babylonica. *Jobum capite* 42.8. veniam Amicis suis.
„ Noe, ne amplius homines perirent diluvio. *Genes.*8.21. suis
„ precibus, & Sacrificiis impetrasse. Potius igitur hinc contra-
„ rium inferendum esset, scilicet, invocandos esse Sanctos.
„ Hoc enim mandavit Deus Amicis *Job. c.*42. 8., dicens: Ite
„ ad Servum meum Job. Job servus meus orabit pro vobis.].
Sic ille.

At contra id, quod probare intendimus, nimirum Judæos Sanctorum Veteris testamenti suffragia implorasse, illud videtur, ab eodem Scriptore prolatum, quod nempè ipsorum Sanctorum animæ, nondum in Beatitudinis, & Visionis, sed pœnitentiæ, & calignis statu essent, ideòque ignorarent, quod hic gereretur: quapropter frustra ii invocarentur à vivis, qui eorum preces noscere non poterant. Difficultatem tamen ipsemet diluit, cum, videlicet, observat, Moysem, Samuelem, cæterosque Sanctos in Limbo existentes, ignorasse quidem, quæ hic gerebantur particularia, nisi ea, vel Dei, vel Angelorum revelatione, aut eorum, qui post mortem eò descendissent, relatione didicissent. Quod quidem hic, & nunc didicisse fatendum est, cum se, nempe, invocantibus singulis, benignum auditum præbuisse, patrata persæpè miracula, comprobaverint. In genere tamen, pro Synagoga orasse, à qua idcircò, eorum orationis suffragium meritò deposcebatur, Interpres idem, in præfata Hieremiæ verba: si steterit Moyses, & Samuel &c. disserte asserit:
„ [Licet Vatablus, (inquiens) vertat; si starent
„ Moses, & Samuel coràm me, non esset animus meus ad po-
„ pulum istum: tamen melius noster, *Septuagint. & Chald.* ver-
„ tunt: si steterint &c.; undè sequitur eos stare posse, & sole-
„ re coràm Domino, ut orent pro populo. Hebræis enim est
„ futurum, quod significat rei consuetudinem: si stabit, idest,
„ si stet, uti stare solet: Ergo Sancti orant pro nobis post mortem,
„ etiam in Limbo, multo magis in Cœlo, multaque nobis impe-
„ trant &c. Vivunt enim Sancti in perfecta charitate, tùm Dei,
„ tùm proximi, atque Deum laudant, & orant, non pro se,
„ ergo pro nobis. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, *Homil. p.*
„ *in Epist p. ad Thessalon.*.]

Et

Et id quidem manifestissime confirmatur, ab exposito à Machabæo Judæis fide digno somno, per quod universos lætificavit: [Erat autem (inquit Divinus sermo) hujusmodi visus: „ Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, Virum bonum, & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio „ decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus „ protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hoc „ apparuisse, & alium, Virum ætate, & gloria mirabilem, & „ magni decoris habitudine circa illum. Respondentem verò „ Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic „ est, qui multum orat, pro populo, & universa Sancta Civitate „ Hierusalem, Jeremias Propheta Dei.] Ex quibus Dionysius Chartusianus, hæc infert. [Itaque Sancti in Limbo orabant pro „ viatoribus.]. Ergo ritè, vicissim viatores eos invocabant, quorum suffragiis apud Deum adjuvari posse sperabant.

2. Machab. Cap. XV. v. 12.

C A P. I V.

Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum Sepulcra, frequenti fidelium Judæorum concursu visitata, patrataque ad ea divinitùs miracula.

SAnctorum verò Patriarcharum, ac Prophetarum, (quorum meritis se posse adjuvari Judæi juremeritò confidebant), Sepulcra, ac Loca, vel quæ incoluissent, vel in quibus quiescerent, ab iisdem præcipuò cultu prosequuta fuisse, præ aliis illud ostendit, quod in Regum Libro his verbis legitur: [Post qua„ draginta autem annos, dixit Absalom ad Regem David: Va„ dam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron: Vo„ vens enim vovit Servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, di„ cens: si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo „ Domino. Dixitque ei Rex David: Vade in pace. Et Surrexit, „ & abiit in Hebron.] [Votum, (inquit Gaspar Sancius) si„ mulat emissum, quo tempore apud avum longum traxit exi„ lium, nempè oblatas Deo victimas in Hebron, si quando in „ Patris gratiam, & aspectum redire continget. Facilè autem „ fuit, hominem religiosum, & pium, religionis, ac pietatis „ specie decipere.].

2. Reg. Cap. XV. v. 7.

Sans in c. 15. lib. 2 Reg. pag. 750.

Quid, verò, de huiusmodi Absalom peregrinatione, ac voto sentiendum sit, ex Interpretibus nonnullis, referre sufficiat.

Lyra-

„ Lyranus: [Vadam (inquit), & reddam &c., ideſt offe- „ renda in Hebron. Locus enim ille ſanctus reputabatur, eo „ quod quatuor Patriarchæ principales ſunt ibi ſepulti, cum ſuis „ conjugibus, ſcilicet, Adam, & Eva, Abraham, & Sara, „ Iſaac, & Rebecca, Jacob, & Lia, ſicut fuit dictum *Geneſ.*23., „ & ideò Abſalom fingebat illùc ire, ex devotione.] *Nicol.Lyran. in Reg. ut ſupra.*

Iiſdem ferè verbis hæc ipſa confirmat Abulenſis. [Alia „ autem cauſa poterat eſſe efficacior, ſcilicet, quod moveretur „ Abſalom devotione quadam, propter ſanctitatem Loci; quia „ in Hebron ſunt ſepulti quatuor Patriarchæ, cum uxoribus „ ſuis, ſcilicet &c.. Poterat ergo per devotionem horum mo- „ veri ad ſacrificandum in loco illo, & hoc fortè ſuſpicatus „ eſt David.]. *Abulenſ. Quæſt. 14. in cap. 15. 21. Reg.*

„ Cornelius demùm à Lapide: [Hebron (ſcribit), ob ſe- „ pultos in ea Patriarchas, habebatur locus ſanctiſſimus, & ab „ Iſraelitis frequentabatur. Hic ergo Abſalomi fuit prætextus, „ & hæc commoditas ſceleris, & conjurationis, conflandæ.]. *Cornel. à lapid. in Reg. ut ſupr.*

Uti Hebron, ob præfatorum Patriarcharum ibi extantium Sepulcra, ſic pariter loca alia, in quibus Sanctorum aliorum Patriarcharum, & Prophetarum corpora quieviſſent, Iſraelitarum pio concurſu fuiſſe frequentata, quæ S. Epiphanius refert, manifeſtiſſimè oſtendunt; cumque idem ipſe præclara ad Sepulchrum Sancti Ezechielis Prophetæ, in favorem fidelium confluentium, à Deo patrata miracula referat: ea proculdubiò peracta fuiſſe ante Chriſti Domini adventum, fateri neceſsè eſt; cum, videlicet, nondum Synagoga à Deo rejecta, iis ſe prorsùs indignam effeciſſet, Auctoremque miraculorum, ut dicit Chryſoſtomus, Chriſtum, quem Prophetæ ipſi prædixerant, crucifixiſſet. [Jacet autem, (ſcribit igitur Epiphanius, de „ Ezechiele), Vir Sanctus in Syrorum regione, ac multi ejus ad „ Sepulcrum, orationis cauſa confluere ſolebant. Cumque fre- „ quens Judæorum illic, ad ipſius memoriam concurſus eſſet; „ aliquando factum, veriti Caldæi, ne contra ſe conſurge- „ rent, impreſſionem in eos facere atque interficere decreve- „ runt. At Prophetæ beneficio, fluminis aqua conſtitit, ut Iſrae- „ litæ ulteriorem in ripam tranſmittentes, evaderent. Ex ho- „ ſtibus, qui fugientem populum auſi ſunt perſequi, ponè ipſum „ demerſi ſunt. Ad hæc Propheta ſpontè, ſuſceptis precibus, „ uberrimam piſcium copiam ſuppeditans, fame jam confectos „ aluit. Idem, cum populus ab hoſtibus opprimeretur, horum „ ducibus occurrit, ac prodigiis perterrefactos deſiſtere coe- „ git. &c.].

S. Io: Chryſoſtom. Sermon. de Iſaia. tom. 1. pag. 434.

S. Epiphan. Epiſcopum Tom. 2. de Viris Prophetar pag. 240. n. 10.

Huic autem ſimile etiam eſt aliud, quod de Sancto Propheta

S. Epiphan. ibid. ut supra.

Isaia Epiphanius idem, his verbis tradit.] Isaias Propheta „ filius Amos, Patria Hierosolymitanus, ex Tribu Juda, à Manasse interfectus, & in duas partes sectus, sub Rogelis quercu „ sepultus est, ad aquarum transitum, quas imposito aggere, „ Ezechias obstrux erat. Deus autem Siloam fontem, in Pro- „ phetæ gratiam produxit; quod is sub mortem, deficiente jam „ anima, precibus aquam ad bibendum postulasset, quæ subin- „ de est emissa. Quam ob causam Siloam, hoc est missus, fons „ ille nominatus est. Quin etiam sub Ezechia Rege, antequam „ hic cisternas, & piscinas fabricasset, orante Isaia Propheta, „ paululum aquæ prorupit, cum populus ab alienigenis obside- „ retur, ut ne aquæ in copia Civitas interiret. Etenim hostes, un- „ denam Judæi biberent sciscitabantur, neque enim sciebant: & „ circumsessa urbe, ad Siloam excubabant. Igitur cum Judæi ad „ hauriendum accederent, attollebat se unda, & ad aquandum „ copiam sui præbebat. Alienigenæ verò subducente illa sese, „ reperire non poterant. Quare hoc etiam tempore, demon- „ strandi Divini mysterii causa, repentè ille latex erumpere „ solet. Et quoniam per Isaiam, beneficium illud impetratum „ est, memores Loci illius accolæ, summo illum cum honore, „ & magnificentia, sepelierunt: ut ejusdem precibus perpetuum „ aquarum illarum usum obtinerent. De hoc enim editum ipsis „ erat oraculum. Est autem Isaiæ sepulcrum, Regum sepulcris „ propinquum, post sepulcra Sacerdotum, ad meridiem &c.] Hæc Epiphanius.

C A P. V.

Spectabilia fuisse SS. Patriarcharum, ac Prophetarum Sepulcra ostenditur, quod Judæi fideles præcipuo ea cultu venerarentur.

At sicut Isaiæ magnificum (ut audisti) Judæi dicavere Sepulcrum, quod ejusdem precibus, perpetuum aquarum usum impetrare sperarent; sic etiam cœterorum Prophetarum, Sanctorumque virorum aliorum sepulcra, & semper omnibus spectabilia, notissimaque, & peregrinationibus frequentata, & maximè culta fuerunt; quod illorum meritis, qui in illis condebantur, se maximè adjuturos confiderent. Hinc de S. Prophetæ Jonæ Sepulcro, scribit S. Hieronymus. [Porrò Geth in secun- „ do Sephorim milliario, quæ hodiè appellatur Diocæsaria, „ euntibus Tyberiadem haud grandis est viculus, ubi & Sepul- „ crum

S. Hieronym. in Prolo 8. in Ionam

„ crum ejus ostenditur.] Et in vita Paulæ. [Perrexit, (inquit) „ Bethleem, & in dextra parte itineris stetit ad sepulcrum „ Rachel, in quo Mater Beniamin, non ut vocaverat moriens „ Benoni, hoc est filius doloris mei; sed ut Pater prophetiza- „ vit in spiritu, filium dexteræ procreavit.] Sic Hieronymus, qui ibidem meminit, tumulorum, & Jesu filii Nave, & Eleazari filii Aaron, & Gedeonis, & Elisæi, & Abdiæ, & Malachiæ, & aliorum, de quibus inferius agemus. Quæ quidem Sepulcra semper, ut diximus, spectatissima, adhuc hujusmodi esse Hieronymi tempore non destiterant; ea, erga illa, ad posteros religione transmissa, qua primùm fuerant excitata, quod nulla annorum, rerumque injuria, illorum memoriam, splendoremque obliterare potuisset.

Idem. Vit. Paulae. Cap. VII.

Et Cap. X. XI. & seq.

Idcircò, quod Sancti Veteris Testamenti nonnunquam in locis nullius fortè pretii legantur conditi, ob id putari certè non debet, eorumdem Sepulcra obscura, vel fuisse, vel remansisse. Quod quidem, præ aliis ostendit, quod de Propheta Achia refert Epiphanius his verbis: [Mortuus demùm Achias, „ ad quercum illam sepelitur, quæ in Selom, hodieque conspi- „ citur.] Legentibus certè ad quercum Prophetam hunc fuisse tumulatum, illud animo primùm occurret, ignobili tumulo corpus ejus fuisse amandatum. Verùm cum auditur Epiphanii tempore, Sepulcrum idem perspicuum extitisse; quid aliud censeri poterit, nisi illud hujusmodi fuisse, ut meritò ab omnibus perpetuò observari, secernique ab aliis quibuslibet debuisset? Quæcumque tamen ea Sepulcra essent, spectabilia certè semper ipsa effecit, nomen eorum, qui in illis conditi fuissent, justa illud: [Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, nomina autem „ eorum vivent in generatione, & generationem]. Celeberrimum siquidem, quod vivebat nomen eorum, notissima semper illorum Sepulcra reddidit, ita ut ad ea orationis, votique ergo sese Judæi fideles conferrent, & qua, par erat, pietate venerationeque ipsa observarent.

S. Epiph. Ibid. ut supra.

Ecclesiastic. c. 44. v. 14.

Sed, uti in Sancto Isaia vidimus, quamplurima etiam eorumdem Sanctorum Virorum monumenta, ab initio splendidè constat fuisse constructa, ipsorumque sacris corporibus venerationi correspondentem, nobilem locum fuisse attributum. Quod quidem ea demonstrant, quæ ab eodem Epiphanio sic referuntur. De S. Daniele siquidem scribit: [Ad extremum San- „ ctus Daniel Babylone pacificè mortuus est, *& in regia spelun-* „ *ca, splendidè sepultus*; atque, ad hunc usque diem, sepul- „ crum illius notissimum omnibus, ibidem conspicitur.]

Idem ibid. ut supra.

Idem.

De Michæa: [Post obitum verò Morathi, in patria sua se

Ibid. ut supra

 „ ortim,

„ ortim, propè monumentum Enacim, *notissimo, ad hodiernum* „ *usque diem, Sepulcro conditus est*.]

Idem ibid. De Joele: [Tum in pace mortuus in patria sua, *magnificè* „ sepultus est.]

Idem ibid. De Abacuc: [Biennio denique antequam è Babylonia po- „ pulus rediret, moritur, & in agro suo *magno cum honore se-* „ *pelitur*.]

Idem ibid. De Aggæo demùm Propheta: [Igitur in eodem loco mor- „ tuus est, & prope Sacerdotes *gloriosè conditus*.] Ista ex Epiphanio. An verò gloriosum fuerit S.Prophetæ Elisæi sepulcrum, de quo Sermo Divinus dicit *Ecclesiast.* 48. *v.* 14. [Et mortuum „ prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, & in mor- „ te mirabilia operatus est.] quærere omninò superfluum arbitramur.

C A P. V I.

Ex Domini sententia Judæis ædificationem Sepulcrorum Prophetarum exprobrante, pia erga illa veneratio magis ostenditur, à Patribus. Ejusdem sententiæ genuinus sensus producitur.

HOnorem autem hunc, ac venerationem à fidelibus Judæis Veteris sui testamenti Sanctissimis Viris, ritè, ac jurè cumulatissimè præstitam, ipsius confirmat Domini Salvatoris, apud Matthæum sententia, *cap.*23. *v.*29., qua sui temporis Judæis exprobravit: [Qui ædificatis Sepulcra Prophetarum, & orna- „ tis monumenta justorum.] [Constat, (scribit enim hunc locum exponens disertissimus Maldonatus), ex hoc loco, Pro- „ phetarum, & justorum Sepulcra, in honore apud Judæos ha- „ bita fuisse.] Ædificabant autem Prophetarum Sepulcra Judæi Christo coævi, cum vetustate collapsa essent, ut Hilarius exponit.

Maldonat. in capit. 23. Matt.

S. Hilar. in Matt. cap. 23.

At Domini verba hæc, de Prophetarum, justorumque Sepulcris, in iisque farciendis studium, à Christo eodem redargutum, Wiclefistæ, ac Calvinus Sanctorum utriusque testamenti perditissimi hostes, in deterius interpretantur: utpotè, qui, contra fas omne, & jus, à Judæis id factum velint, quod à Domino adeò acriter increpari meruerit. Verùm impiam, ineptamque ipsorum explicationem, omnium ferè, & quidem antiquissimorum Patrum, verissima sententia funditùs evertit. Quod

Vid. apud Bellarmin. lib. 2. de Reliq. cap. 1.

Quod enim Scribæ, & Pharifæi collapfa (Sanctorum Sepulcra) reintegrarent, (fcribit, quem memoravimus Maldonatus) non vituperationis, fed laude dignum erat, ut Origenes, Chryfoftomus, Euthymius admonuerunt, nec propterea eos Chriftus reprehendit; fed quia cum eorum ædificarent Sepulcra, majora ipfi patrarent homicidia, quàm qui Prophetas illos, quorum Sepulcra ædificabant, occiderant.

Maldonat. ibid. ut fupra.

Et Bellarminus Wiclefi ftolidam interpretationem retundens: [Refpondemus, (inquit) Dominum, non repræhendere „Judæos, quod ædificarent, vel ornarent monumenta Pro„phetarum, fed quod non imitarentur eos, quorum monu„menta ornabant; fed potius eos, qui illos occiderunt, atque „feipfos condemnarent. Sic enim exponunt eum locum ferè „omnes Patres, ut Hilarius, Hieronymus, Chryfoftomus, „Theofilatus. *In cap.* 23. *Matth.*, & Ambrofius, & Beda, *in* „*Cap. XI. Lucæ.*]

De Reliq. 55. lib. 2. cap. 4.

„[Propheticorum, (inquit Ambrofius) ædificationes tu„mulorum, fceleris eos, qui occiderunt, arguebant, & fimili „æmulatione factorum, fe quoque declarabant paternæ iniqui„tatis hæredes. Non igitur ædificatio, fed æmulatio loco cri„minis æftimatur.]

S. Ambrof. in Luc. cap. XI.

Chryfoftomus: [Non quia ædificant, (inquit), nec quia Pa„tres fuos accufant, veh illis dixit; fed quoniam ita facientes, „& ita dicentes, Patres fuos condemnare audebant, cum ipfi „pejora committerent.]

S. Io: Chryfoftom. Hom. 75. in Math.

At cum Lucæ XI., de hoc ipfo differens Dominus dixerit: „[Profectò teftificamini, quia confentitis operibus Patrum ve„ftrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis: eorum Sepulcra.]. Quibus, nimirum, verbis, ipfam ædificationem accufare Dominus videtur, tamquam confenfus in necem Prophetarum teftimonium. Huic objectioni Bellarminus idem fatisfaciens.

„[Refpondit, (inquit) Chryfoftomus, loco citato, Judæos „ædificare folitos Sepulcra Prophetarum, non ut honorarent „Prophetas, fed ut oftenderent vires, & potentiam majorum „fuorum, qui Prophetas occidere potuerunt. Licet enim Judæi „non effe hanc fuam intentionem dicerent, fed omninò con„trariam: tamen revera hanc fuiffe eorum intentionem, patet, „quia occidere quærebant Dominum Prophetarum.].

Ibid. ut fupr.

Hieronymus paulò aliter exponit: dicit enim [Antiquos „Judæos, ex fuperbia occidiffe Prophetas: recentiores autem, „ex fuperbia, & ambitione ædificaffe Sepulcra eorumdem, „& proinde eo facto confenfiffe operibus Patrum fuorum.]

S. Hieronym. in cap. 23. Math.

„[Caje,

Cajetan. ibid.

Cajetanus satis accomodatè exponit, [Eum qui sepelit „ occisum, posse id facere, vel ut honoret mortuum, vel ut „ compleat actum homicidæ: ordinariè enim homines occidun„ tur, & postea sepeliuntur, ut scelus lateat. Judæi autem, „ etiamsi dicerent se ædificare Sepulcra Prophetarum, ut eos „ honorarent; tamen id facere videbantur, ut complerent ope„ ra Patrum suorum; patetque ex eo, quod ipsi postea majo„ res Prophetas, idest Christum, & Apostolos aliquos occi„ derunt.]

Liquet igitur, ex his, Dominum, non opus, sed animum, quo exornandis, sarciendisque Prophetarum, Sanctorumque virorum Sepulcris suo tempore Judæi incumbebant, damnasse; cum alias opus ipsum, per se laude dignissimum esset; & quidem, à majorum exemplo, atque imitatione acceptum, qui & ipsi eximio studio ejusmodi justorum sepulturas curaverant, ut pluribus jam-demonstravimus.

C A P. V I I.

Calvini, contra venerationem Sanctorum Veteris Testamenti in Synagoga, ex abscondito Moysis Corpore desumptum argumentum, exploditur. Nunquam Deus congruam Sanctorum ipsorum venerationem inhibuit.

Deuteronom. 34. v. 5.

Iud. v. 9.

ALiud prodit Calvinus, quo ostendat, omnem prorsus Sanctorum venerationem à Synagoga Deum eliminatam voluisse, ex *Cap. ultimo* Deuteronomii, & Judæ Epistola: ibi enim dicitur: [Mortuusque est ibi Moyses Servus Domini in terra „ Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab „ contra Phogor, & non cognovit homo Sepulcrum ejus, usque „ in præsentem diem.] Hic autem, nempè in Epistola Judæ, dicitur: [Cum Michael Arcangelus, cum Diabolo disputans, „ altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre „ blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus.] Ratio autem, ob quam Moysis corpus Deus abscondit, ea redditur ab omnibus, ne illud Judæi adorarent. Causa verò altercationis, inter Michaelem Arcangelum, ac Diabolum, ea fuit, quod Diabolus Moysis corpus manifestare volebat, ut Judæis, videlicet, occasionem illud adorandi præberet: ab eoque scelere illum Arcangelus prohibuerit. Ex quo, nimirùm, peculiari facto elicere

cere contendit Calvinus, omnimodam Sanctorum venerationem universè, in veteri Testamento propulsatam, Deum voluisse.

Verùm inepte simul, ac impiè Calvinus differit; aliud enim, uti apud nos est, fuitque veneratio Sanctissimis Prophetis, ac Patriarchis à Fidelibus Judæis, uti amicis, servisque Dei præstita; aliud fuit Prophetam aliquem, pro Deo coli. Secundum hoc prohibuit Michael, non primum illud. Inter cœteros siquidem Prophetas, præclarissimus extiterat Moyses, de quo sermo Divinus: [Et non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moy-
„ ses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis,
„ atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Egypti,
„ Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius;
„ & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit
„ Moyses coràm universo Israel.] Tantum igitur Prophetam, tot mirabilibus per eum à Deo patratis illustrem, facilè fuisset à Judaico Populo, pro Deo coli; ideòque, ne in tantum facinus populus ipse prolaberetur, necesse fuit, ut eum, Moysis Sepulcrum lateret; nam in illius veneratione, juris, & æqui terminos omnes prætergressus, Divinos Moysi, quos non debebat, dicasset honores. Sed quid hæc, cum Prophetis, justisque cœteris, in quorum veneratione, nihil hujusmodi Idololatriæ periculi suberat: quique dumtaxat, ut Dei servi, & amici colendi essent?

Deuter. cap. 34. v. 10. 11. 12.


[Dices, (inquit Bellarminus), Judæi non coluerunt Moysen
„ viventem pro Deo, ergo multò minus coluissent mortuum.]
Cui ille: [Respondeo viventem non coluerunt, quia quotidie
„ ab illo audiebant unum esse verum Deum, se autem illius
„ servum. At post mortem recordati mirabilium ejus, & non
„ audientes verba ejus, facilè potuissent adduci, ut crederent
„ esse Deum, eumque adorarent, si scirent ubi esset, presertìm
„ quia valdè credibile est, corpus ejus, licet mortuum, conser-
„ vasse adhùc splendorem vultus, & decorem, quem antea
„ habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Exemplum habe-
„ mus in Serpente æneo; nam *Num.* 21. jubente Moyse aspicie-
„ bant Judæi tacti à serpentibus, & curabantur: nec tamen eum
„ adorabant cultu latriæ, quia, nimirum, Moyses dixerat illis,
„ serpentem illum non esse Deum, sed signum dumtaxat salu-
„ tis. At 4. *Reg.* 18. eidem serpenti tamquam Deo sacrificabant,
„ cum tamen jam nulla operaretur miracula, & ideò ab Ezechia
„ confractus fuit.] Et paucis interjectis.

De Rel. SS. lib. 2. cap. 4.

[Populus Judæorum eo tempore propensissimus erat ad Ido-
„ lolatriam, itaùt etiam vitulos aureos coleret. Undè post ca-
„ ptivitatem Babylonicam, quia Populus ille non amplius coluit
Idola,

„ Idola, videmus Deum illuſtraſſe Sepulcrum Iſaiæ, Ezechie-
„ lis, Hieremiæ, Eliſæi, Abdiæ, & aliorum multis miracu-
„ lis; & gratum habuiſſe cultum, qui oſſibus eorum exhibeba-
„ tur, ut Epiphanius, & Hieronymus tradunt.

Eſto igitur, quod Calvini argumentum, inſulſiſſimè à particulari, ad univerſale traductum, aliquid valeret; ac ex eo, quem Deus ſubtractum voluit unius Moyſis corpori honore, eliciendum eſſet cœteris Sanctis, Prophetis ipſum denegatum quoque voluiſſe; id procùl dubiò non niſi, de incondito eo cultu accipiendum eſt, quo proclivis in Idololatriam populus idem, eos, uti Deos venerari, colereque facilè potuiſſet: non verò de alio, quem illis legitimè impertiri valeret; & quidem, non modo, cum ſublato, (ut Bellarminus obſervat) in Idololatriam prolabendi periculo, ac impia proclivitate, patratis ad Sanctorum Sepulcra miraculis, congruo eos honore, populo eidem ipſos colendos, venerandoſque, (prout par erat) exhibuit, ſed antea etiam, ac ſemper, ſtanteque etiam periculo eodem; nam intra congruos limites, nunquam Sanctorum venerationem Deum inhibuiſſe, quæ diximus, de peregrinatione, ac voto Abſalomi in Hebron, ſatis oſtendunt. Eo ſiquidem tempore, & diù poſt, in Idololatriam Judaicum Populum propendiſſe, quæ Salomoni ejuſdem, Abſalomi fratri accide-
Reg. 3. cap. xi. v. 4. & 5. runt, abundè demonſtrant. Quapropter, ut fraudem contegeret, quam coquebat, præfatæ devotæ peregrinationis, ac voti prætextum aſſumere Abſalom non potuiſſet, ſi id inhibitum fuiſſet; ac multò minùs rei aſſentiri, Virum Sanctiſſimum David, annuereque ejus petitioni, de tali voto ſolvendo, ſi vetitum, prohibitumque id fuiſſet, nequiviſſe; quis non videt?



CAP.

C A P. VIII.

Priscorum Christianorum primo, secundo, ac tertio sæculo, erga Sanctos veteris Testamenti religio, ex pictis in Cryptis, sculptisque in Sarcophagis ipsorum Imaginibus, declaratur. Eorumdem Sanctorum laudes, ac virtutes, à Sanctis Patribus, qui eo tempore vixerunt, passim celebratæ.

UBi verò Salvator noster ascendens in altum, (ut Propheta loquitur), captivam duxit captivitatem, Sanctorumque Patriarcharum, & Prophetarum felicissimas animas, è sinu Abrahę, in quo detinebantur, eductas, ad Cœlum secum evexit: verbis consequi non poteſt, quanto ſtudio. quantaque animi devotione, qui primi institutorum ejus sectatores extiterunt, eorumdem Sanctorum Patriarcharum, Prophetarumque cultui se addixerint. Id certè in primis teſtantur, in Cœmeteriis, & Cryptis, primo, secundo, vel tertio ſæculo, eorumdem passim depictæ imagines, quas mirari non semel in Catacumbis, præcipuè Romanis datum eſt. In illis ſiquidem, Abraham, Abel, Moysis, Job, Jonæ, Trium Puerorum, cæterorumque Prophetarum adumbratæ, undique conspiciuntur figuræ, quæ & ipsos exhibent, & præclara eorum facinora repreſentant. Qininimò antiquissimorum Priscorum Christianorum nullum ferè reperire eſt Sarcophagum, & Sepulcrum, in quo mixtim, & novæ legis Divina myſteria, & Hæroum Veteris Teſtamenti geſta, scalpro sculpta non reperiantur. *Psal. 67. v. 19.*

Quo autem animo, præcipuè in Cœmeteriis Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum imagines, ut diximus pictas Christiani vellent; differtè explicat, ex Arringhio, Prosper Bottinus Archiepiscopus Myrensis, in Dissertatione, *apud Bolland. in Appendice Maii To.7.pag.669. n.14.* dum oſtendit: [Priscos fideles in Cœmeteriis, & Cryptis, in quibus latebant, & conveniebant, ut persecutionum rabiem vitarent, consuevisse servare imagines Sanctorum veteris Teſtamenti, iisque cultum exhibere; ut ex ipsorum cultu, & aspectu spiritualem profectum excitarent, & ad fortiter toleranda tormenta redderentur alacriores]. Et reverà præſtiti iisdem à veteribus Christi fidelibus cultus, fidem indubiam faciunt earumdem Cryptarum lo- *Arringh. Rom. subterran. tom. 2. lib. 5. per totum.*

loca, in quibus sacræ ipsæ imagines depictæ cernuntur. Hæc enim, ut plurimum, non nisi in iis, quæ recentioribus cubicula vocare placuit, extiterantque fidelibus, Ecclesiæ, vel potius Oratoria quædam; ac super ea, quæ recentioribus pariter arcuata sepulcra noncupare libuit, & non nisi Altaria erant, cujus, ut vocant, mensam ipsum Martyrum Sepulcrum constituebat, super quod Divinum Sacrificium offerebatur; depictæ ille, adumbratæque conspiciuntur: adeòut loca ipsa, (ut diximus) veneranda, præstiti sacris ipsis imaginibus cultus, irrefragabiles testes existant.

His addas præclara ab illius ævi Patribus, eorumdem Sanctissimorum Patriarcharum, & Prophetarum concinnata præconia, quibus insuper ostenditur, quàm frequens, quàmve assidua, virtutum, gestorumque illorum, apud fideles haberetur memoria. Inter eos, de Job loquens hæc profert Origens: [Etiam
Origen. lib. 1. in Job.
„ adhuc, usque in hodiernum diem, Beati Job tolerantia, ante
„ eos, qui sunt in dolore, & luctu, atque planctu, legitur, pro
„ consolatione, atque exhortatione dolorum illorum, & pro
„ ablatione angustiæ cordis eorum: Similiter autem, & in con-
„ ventu Ecclesiæ, in diebus sanctis legitur Passio Job.]

In Bibliotec. PP. secul. 3. Tom. 3. pag. 381.
Zeno Veronensis Episcopus, & Martyr, Sermone de Martyrio Isaiæ, inter alia hæc habet. [Idcircò sollicitis visibus ve-
„ teris disciplinæ, novam de passionibus celebritatem advertite,
„ qualisque illic fuerit martyrii nobilitas, quàm præclara, quàm
„ fortis. Cum in Capite &c.]

Ibid.
In Sermone altero, de Daniele primo. [Denique tres Pueri,
„ (inquit) in illo sacro certamine, præ oculis Deum sibi pro-
„ posuere, non flammas, præmium futurum, non pœnam. Sic-
„ que, inter tetros undantis incendii globos, triumphantes
„ barbarum Regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium
„ docuerunt ignem, sanctis hominibus non esse fortiores.]

Ibidem ut supr. pag. 382.
Et Sermone sexto de eodem: [Exulta Christiane, & Deum
„ fortiter time, Diaboli si vis incendia non timere. Ecce Pueri
„ sacramento muniti, tres numero, sed una virtute, anhelan-
„ tibus flammis, camino rugiente, non læduntur, incensi hym-
„ num canunt, barbarum Regem fidei tenacitate confundunt.
„ Vindicantur de incensoribus suis, Deum vident: mors transit
„ in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?]

Ibidem ut supr. pag. 369.
Sermone demùm de Job: [Sacræ Historiæ, Fratres Dile-
„ ctissimi, (inquit) ad hoc nobis est tradita legenda narratio,
„ ut majorum, etsì fieri potest, saltem aliqua ex parte mores
„ imitemur, si non possumus imitari virtutes: tanta enim pro-
„ bitate vixerunt, ut pars felicitatis sit nosce, quid fecerint.
„ Igitur Job, Vir fuit justus, & verax, ab universis concupi-
scen-

„ scentiis hujus mundi secretus, conversatione limpidus, mente „ limpidior, usque adeò circumspectus, atque irrepræhensibilis, „ ut Dei sit testimonio collaudatus. Unde non immerito beatus, „ beata vita fruebatur.] Et post multa: [O' felix vir, qui „ mira patientia Deum promeruit, Diabolum vicit, sanitatem „ recepit: facultates, liberosque suos non perdidit, sed mutavit. „ Job, quantum intelligi datur, Fratres Charissimi, Christi ima- „ ginem præferebat. &c.].

C A P. I X.

Christianæ Religionis persecutoribus sublatis, auctus Sanctorum Veteris Testamenti cultus. Constantini Magni, erga illos studium, & veneratio.

DEpulsis autem persecutionum, persecutorumque tenebris, cum Fidei Christianæ sol, qui prius quodammodo in nubilo censeri posse videbatur, nitidior sub Magno Constantino refulsit; mirum dictu, quanta simul, erga Sanctissimorum Patriarcharum, ac Prophetarum Reliquias, Sepulcra, Memorias, & quidquid demùm ad eos quoquo modo pertinuisset, religio percrebuit. Et primum quidem ipsiusmet Constantini insignis pietas enituit, cum videlicet in fontibus in medio foro constitutis (inquit Eusebius) [Boni Pastoris imaginem, Divinorum „ oraculorum peritis notissimam: Danielis item effigiem, una „ cum Leonibus aere expressam, & auri bracteis refulgentem.] „ locavit.]

Euseb. Vit. Constan. lib. 3. cap. 49. pag. 507.

Sed quæ narrat Sozomenus, magis etiam ejusdem erga Sanctissimos Veteris Testamenti Justos, cultum, venerationemque declarat. [Jam verò (scribit) ea, quæ ab Imperatore Con- „ stantino consulta, ac disposita sunt, circa Quercum, quæ „ dicitur Mambre, commemorare necessarium puto. Locus „ hic est, quem hodie Therebinthum vocant, à Chebron qui- „ dem, quæ sita est ei ad meridiem, quindecim stadiis distans: „ ab Hierosolymis verò ducentis circiter stadiis, & quinquagin- „ ta. Quo in loco Filium Dei, una cum duobus Angelis, contra „ Sodomitas missis, Abrahamo apparuisse, & filium ei nascitu- „ rum prædixisse, verax testatur historia. Illic porrò æstatis tem- „ pore, celebrem quotannis mercatum agunt ejus loci incolæ, „ & qui ulterius degunt, Palestini, Phœnices, & Arabes. Multi „ quoque alii negotiandi causa eò conveniunt, partim vendituri,

Sozomen. Eccles. Hist. lib. 2. cap. 4. pag. 447.

„ partim empturi. Quippe hoc festum magna omnium hominum
„ frequentia celebratur. Judæorum quidem, propterea quod
„ Abrahamum Auctorem gentis suæ jactant: Gentilium verò,
„ eo quod Angeli illùc advenerint: Christiani denique, eo quod
„ tunc temporis pio Viro apparaverit is, qui diù postea, ad sa-
„ lutem generis humani, natus ex Virgine, cunctis se manifestum
„ exhibuit. Porro singuli, pro cultu, ac religione sua, hunc locum
„ venerantur; alii preces omnium moderatori Deo fundentes,
„ alii Angelos invocantes, &, aut vinum libantes, aut thus ac-
„ cedentes, aut bovem, vel hircum, vel ovem, gallumve im-
„ molantes. Unusquisque enim, quod charissimum habet, aut
„ pulcherrimum, id toto anno alens sedulò, ac saginans, ex voto
„ ad epulum, festi illius, sibi, ac suis servare solet. Omnes au-
„ tem, sive in venerationem loci, sive metu Divinæ vindictæ,
„ ne quid mali ipsis contingat, abstinent illic à mulierum con-
„ cubitu, quamvis illæ, ut in festo fieri solet, formæ suæ, atque
„ ornatu majorem curam gerant, & si occasio se obtulerit, ap-
„ pareant, ac procedant in publicum, nec omninò lasciviunt:
„ idque tametsi contigua plerumque habeant tabernacula, &
„ promiscuè cubare consueverint. Locus enim ille sub divo est,
„ & aratur, nec ulla habet ædificia, nisi circa Quercum, quæ
„ olim fuerunt Abrahami, & puteum ab eodem constructum.
„ Cœterum tempore mercatus, nemo ex illo puteo aquam hau-
„ rit. Nam gentili ritu, alii lucernas accensas puteo impone-
„ bant: alii vinum superfundebant; quidam placentas, nonnulli
„ nummos, vel unguenta, vel suffitus immiscebant. Proindè
„ aqua injectarum rerum admixtione, ut credibile est, inutilis
„ potui reddebatur. Dum hæc eo, quem diximus modo, à Gen-
„ tilibus, solemni ritu, atque hilaritate gererentur, Socrus Con-
„ stantini, voti causa eò adveniens, rem Imperatori nunciavit.
„ Quibus ille auditis, Palestinæ Episcopos non mediocriter ob-
„ jurgavit, quod officium suum neglexissent, & locum sanctis-
„ simum, impuris libationibus, & sacrificiis inquinari passi essent.
„ Piam autem ejus repræhensionem declarat Epistola, ab ipso
„ scripta ad Macharium Hierosolymorum Episcopum, & Euse-
„ bium Panfili, aliosque Episcopos Palestinæ. Quibus etiam
„ præcepit, ut simul cum Phœnices Episcopis convenirent; &
„ ara, quæ prius illic steterat, funditùs eversa, ac repurgata,
„ statuisque incendio consumptis, *Ecclesiam ibidem designarent*,
„ vetustati loci, & sanctitati convenientem: darentque operam,
„ ut in posterum locus ille, à libamentis, & sacrificiis vacuus
„ esset: adeò ut nihil aliud, quàm veri Dei cultus, juxta Ecclesiæ
„ leges ibi celebraretur. Quod si quis vetera tentare depræhen-

sus

„ ſus fuiſſet; indicarent illum Epiſcopi, quo ipſe graviſſimum „ ei ſupplicium inferret. Juxta hanc Imperatoris Epiſtolam, re„ ctores Provinciæ, & Sacerdotes Chriſti, ea, quæ mandata „ fuerant, opere compleverunt].

Epiſtolam autem, à Conſtantino ſcriptam, unus ex iis, ad quos miſſa fuit, Euſebius, nimirum, Panfilii, in ejuſdem Conſtantini vitæ *lib.3. cap.52., & 53. referr.*, in eaque inter alia hæc habentur. [Locus ille, qui ad Quercum Mambre vocitatur, in „ quo Abrahamum habitaſſe comperimus, fertur à ſuperſtitioſis „ quibuſdam hominibus, omnimodo contaminari &c. Quem „ quidem locum, *puro Baſilicæ ædificio exornari præcepimus*, „ ut idoneus ſanctis viris conſeſſus efficiatur &c. Neque enim „ ignoratis univerſorum Dominum, ac Deum illic primùm „ Abrahæ viſum, cumque eo collocutum eſſe. Illic Sacroſanctæ „ legis obſervantia, primùm cœpit. Illic primùm Servator Ipſe, „ una cum duobus Angelis præſentiæ ſuæ copiam Abrahæ fecit. „ Illic Deus primùm hominibus apparuit. Illic Abrahæ, de fu„ tura ipſius progenie prædixit, atque illicò pollicitationem im„ plevit. Illic multo ante nunciavit, plurimarum gentium Pa„ trem, atque auctorem ipſum futurum. Quæ cum ita ſint, „ æquum eſſe videtur, ut locus ille noſtra cura, ac diligentia, „ tùm ab omni piaculo purus conſervetur; tùm in priſtinam „ ſanctitatem reſtituatur &c.] *Euſeb. Vit. Conſtant. lib.3. c.53. pag.509.*

C A P. X.

Non Abrahæ tantum, ſed cœterorum quoque Patriarcharum, & Prophetarum memoriæ, ac Sepulcra, ſumma veneratione à fidelibus exculta, ac in Eccleſias converſa.

NEc putandum unum ad Quercum Mambre locum, ubi Abrahæ Deus, ut audiſti, tot contulit beneficia, debito honore, Conſtantini juſſu proſequutum fuiſſe; cœtera ſiquidem ejuſdem Sanctiſſimi Patriarchæ, & uxoris, & filii præſentia honeſtata, loca, pari à fidelibus veneratione exculta fuerunt; ut apertiſſimè docet Hieronymus, qui devotionis ergo, Paulam ſacras eas memorias, viſitaſſe teſtatur. [Nec poſt longum ſpatium, (ſcribens) „ intravit Saræ cellulas, vidit incunabula Iſaac, & veſtigia Quercus „ Abraham, ſub qua vidit diem Chriſti, & lætatus eſt. Atque „ inde conſurgens, aſcendit Chebron: Hæc eſt Cariatharbæ, „ ideſt oppidum virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Jacob, *D. Hieronym. in vit. Paulæ c.9.*

&

„ & Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave, „ Hebræi autumant; licet plerique Caleb quartum putent, cujus „; ex latere memoria monstratur.] Et post nonnulla. [Altera „ die, (scribit) orto jam Sole, stetit in supercilio Caphar Baruca, „ idest villæ benedictionis: quem ad Locum Abraham Dominus „ prosecutus est.]

Ibidem.

At sicut incunabula Isaac Paulam visitasse Hieronymus narrat; sic etiam Sancti Patriarchæ Jacob, præter quod recensuimus sepulcrum, alias quoque venerandas memorias minime præteriisse, idem his verbis testatur. [Longum est, si velim de valle „ Achor dicere &c., & de Bethel Domo Dei, in qua super nudam humum, nudus, & pauper dormivit Jacob, & posito „ subter caput lapide, qui in Zaccharia septem oculos habere „ describitur, & in Isaia lapis dicitur angularis: vidit scalam „ usque ad Cœlum tendentem, in qua Dominus desuper innitebatur, ascendentibus porrigens manum, & negligentes de sublimi præcipitans.] Et haud multo post: [Transivit Sichem, „ non ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis „ appellatur, & ex latere Montis Garizim, *extructam circa* „ *puteum Jacob intravit Ecclesiam &c.*]

Ibid. cap. 11.

Ibidem.

Nec minorem erga cætera quoque Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum monumenta cultum, ac venerationem exhibitam, differtè significat Hieronymus idem, dum videlicet, de eadem Paula loquens, scribit. [Beryto Romana colonia, & „ antiqua Urbe Sidone derelicta, in Sareptæ littore, Eliæ est „ ingressa Turriculam, in qua, adorato Domino Salvatore, per „ arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, pervenit ad Coth &c.] Et inferius. [Sepulcra quoque in Monte Ephraim Jesu „ filii Nave, & Eleazari filii Aaron Sacerdotis, *è regione ve-* „ *nerata est*; quorum alter conditus est in Tamnathsare, à Septemtrionali parte Montis Gajas, alter in Gabaa filii sui Phi- „ nees.] Et post nonnulla: [Transibo ait ad Egyptum, & inter „ Soccoth, atque fontem Sampson, quem de molari maxillæ „ dente produxit, subsistam parumper, & arentia ora colluam, „ ut refocillatus videam Morastim, sepulcrum quondam Michææ „ Prophetæ, *nunc Ecclesiam*.]

Ibidem cap. 6.

Ibid. cap. 11.

Ibidem cap. 12.

CAP.

C A P. X I.

Ad Sacrum SS. Prophetarum Elisæi, Abdiæ, & Jo: Baptistæ sepulcrum, licet sacris eorum Corporibus vacuum, patrata miracula. Ipsorum Sanctorum impiè dispersæ reliquiæ, summo studio à fidelibus collectæ. De pulvere sepulcri Jeremiæ, & de immensis ad Davidis monumentum miraculis.

SEd, præ aliis notatu dignum certè censendum est, quod ad sepulcrum Elisæi, Abdiæ, & Jo: Baptistæ, eidem Paulæ accidisse, ipsemet narrat Hieronymus; [Vidit, (scribit) duodecim „ Patriarcharum sepulcra, & Sebasten, idest Samariam, quæ in „ honorem Augusti, ab Hærode, Græco sermone, Augusta est „ nominata. Ibi siti sunt Elisæus, & Abdias Prophetæ, & (quo ma„ jor inter nates mulierum non fuit), Joannes Baptista. Ubi mul„ tis intremuit consternata mirabilibus, namque cernebat variis „ Dœmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra sanctorum ulu„ lare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere „ leonum, sibilare serpentium, mugire taurorum. Alios rotare „ caput, & post tergum terram vertice tangere: suspensisque „ pede fœminis vestes defluere in faciem. Miserebatur omnium, „ & per singulos, effusis lacrymis Christi clementiam depre„ cabatur.]. *Ibidem cap. 11.*

Hæc (inquam) meritò admirationem ingerere debent, nam cum Paula Prophetarum horum sepulcrum invisit, licet in eo miraculorum perseveraret virtus, tamen sacris ossibus vacuum erat. Vacuum, inquam, (scribunt Bollandini): [in vita „ enim S. Artemii Martyris. xx. Octobris illustranda, *cap.* 27. „ apud Surium, legitur, quod postquam Julianus Apostata [de„ dit gentibus potestatem, ut ingrediantur in Ecclesias Chri„ stianorum, & faciant, quæ velint.... ossa Prophetæ Elisæi, „ & Joannis Baptistæ, (ut putabant), è loculis educentes, & „ cum immundis brutorum ossibus commiscentes, exusserunt, „ & cinerem in aerem cribrarunt, ac ventilarunt. *Ruffinus lib.* 2. „ *cap.* 18. tunc accidisse ait, ut efferati illi prædicta sancta ossa „ [dispergerent, atque ea rursus collecta igni cremarent, ac „ sanctos cineres, pulveri immixtos, per agros, & rura disper„ gerent;]. De quo ipsemet in Misopogone gloriabundus Julianus *Act. SS. Bolland. Junii sub die 14. Jun. t. 2. pag. 784. num. 2.*

„ nus ait. [Sepulcra Atheorum omnia: (ita Sanctos appellabat), „ signo à me nuper dato, everterunt Syri Gentiles, ita, elati, „ & erecti animis; ut scelera eorum, qui Deos violarunt, acrius „ etiam, quàm mea ferebat voluntas, vindicarint.] Sic illi.

Monachi tamen, ut idem Ruffinus scribit, ab Hierosolymis „ missi, [Inter eos, qui ad exurendum ossa legebant, mixti, „ diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congre- „ gantes, furtim se, vel stupentibus, vel ignorantibus, subtra- „ xere, & ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliquias „ pertulere.] Ista ex Ruffino.

Sancti vero Elisæi Prophetæ aliqua, ex præfati ossibus Alexandriam deindè translata fuisse, in Compendio Historico tradit his verbis Cedrenus. [Septimo anno Leonis Magni, (qui fuit „ Christi 443.) Propheta Elisæus Alexandriam translatus, in „ Monasterium Pauli leprosi. Ita, qui leprosum (Naaman) sa- „ naverat, & leprosum (Giezi) fecerat, in leprosi Ædc depo- „ situs fuit.] Sic ille.

De Jeremia Propheta tandem, ista Epiphanius tradit: „ [Ipse Taphnis Egypti Urbe, à populo lapidibus oppressus in- „ teriit. Situs est in eo loco, ubi Pharao quondam Domicilium „ habuit. Nam Egyptii, ob acceptum ab illo beneficium, sum- „ mum ei honorem habuerunt. Cum enim aspides, & aquatiles „ bestiæ, quas Egyptii Nepoth, Græci Crocodillos vocant, exi- „ tium illis inferrent; orante Jeremia Propheta, tàm aspidum „ in terra furor, & rabies, quàm in fluvio belluarum insidiæ com- „ pressæ sunt. Unde, ad hoc usque tempus, fideles, qui illic „ sunt, omnes orare in eodem illo loco solent: sumptoque pul- „ vere morsibus, aspidum medentur.]

Ibidem ut supr. num. 6. pag. 239.

His alii addi possent, ex primævis Sanctis illis Patribus, ac Prophetis, quorum memoriæ, summo honore, à Christi fidelibus semper prosequutæ fuerunt, utpotè eorum, quorum virtutes, ac merita, præcipuè, ex Sacrarum Litterarum infallibili testimonio perspicua erant, & Deus ipse miraculis testata faceret. Ut coeteros enim prætercam; de immensis prodigiis, ad S. Regis David sepulcrum editis, cum impius Hærodes thesaurum inde auferre conaretur, testis locupletissimus, dissertissimusque est *Joseph. Antiquit. Judaic. lib.* 16. *cap.* 11. quem consulat, qui ea intelligere cupit.

CAP.

CAP. XII.

De Sanctorum Habacuc, Michaæ, Samuelis, & Zachariæ sacris corporibus inventis.

PRæterire nihilominùs non censuimus, quæ de sacris corporibus Habacuc, Michææ, & Samuelis, monumentis tradita reperimus. Michæe sepulcrum, in Ecclesiam conversum, supra, ex Hieronymo retulimus; ejusdem autem, & Habacuc sacras exuvias Magni Theodosii tempore divinitùs fuisse inventas, his verbis narrat Sozomenus.

„[Neque verò hæc solum Religionem nostram illustrarunt, „verùm etiam Abacuc, nec multò post eum, Michæas, ex primis „illis Prophetis, circa id tempus reperti. Amborum autem cor„pora, per Divinam in somnis visionem, sicut accepi, ostensa „sunt Zebenno, qui tunc Eleutheropolitanæ Ecclesiæ Pontifica„tum gerebat. Locus porrò, in quo repertus est Habacuc vocaba„tur Cela, olim verò Ceila Civitas dicebatur. Berthsatia verò lo„cus est decem, circiter stadiis distans ab urbe, juxta quem lo„cum erat sepulcrum Michææ, quod quidem incolæ ignorantes „quid dicerent, monumentum fidelium appellabant, Nephsa„meemana, patrio sermone nominantes.] Quæ scribit Sozomenus, confirmant Cassiodorus *Histor. Tripart. lib. 9. cap. 52.*, & *Nicephorus lib. 12. cap. 48.* *Sozom. Hist. Eccl lib. 7. capit 39. pag. 752.*

Deus autem omninò, (scribit Nicephorus idem), Theodosii (Junioris), & Pulcheriæ, administratione delectari visus est, non eo solum, quod bella ita composuit, ut subditi eorum ab hostibus liberarentur: verùm etiam quod multa sacra corpora eorum, qui olim veriore pietate excelluerunt latentia, imperii illorum tempore honore prosequens, visionibus quibusdam, è sinu terræ produxit, & publicè in apertum protulit. [Ac primum quidem, (ejusdem Nicephori sunt verba), de Propheta (Zaccharia ve„teriore), ut qui primum apparuerit, memorabo. Circa Eleu„theropolim Palestinæ, vicus quidam est Cophar dictus, unde „Zaccharias ortus fuit. Præfuit huic Calemerus quidam agri„cola, erga agri possessionem benevolus maximè, in finitimos „autem rusticos, durus admodum, & gravis. Et quamvis ille „talis esset, Propheta tamen ei insistens, seipsum apertè ostendit, „& ad hortulum quemdam eo ducto: Hic, inquit, in duorum „cubitorum altitudinem fodito, à septo in hortum ipsum, eam „viam versus, quæ Bitherebin oppidum ducit: & Arcas duas in„venies, exteriorem ligneam, interiorem plumbeam. Reperies *Niceph. Ecclef. Hist. lib 14. cap. 8. pag. 864.*

D præ-

„ præterea apud loculos eos vas quoddam aqua repletum: ad cu-
„ jus partem utramque mediocres duo innoxii, & placidi ser-
„ pentes, (cicures eos dicas) circumvoluntur. Hæc quidem,
„ qui per visionem apparuit, dixit. Calemerus verò viso ei obse-
„ quutus, imperatum opus perfecit, atque ubi sacra illa arca,
„ juxta prædicta signa extitit, Divus Propheta apparuit, Sacer-
„ dotalem indutus stolam: quippe qui etiam, ut puto, Sacerdos
„ fuerit. Ipse verò Propheta, cum multis hominum ætatibus,
„ seu generationibus in terra jacuisset, nihil tamen in corpore
„ ejus deficere visum est. Ad cutem usque tonsus, rectum habuit
„ nasum, mentum mediocriter demissum, caput parvum, &
„ oculcs paulò altius superciliis contectos. Sic quidem Divinus
„ Propheta est manifestatus.] Ita Nicephorus.

C A P. X I I I.

Cur revelata primùm, deindè translata SS. Prophetarum Corpora voluisse Deum, censendum sit. Corporis S. Samuelis translatio. Erga Sanctos veteris Testamenti, eorumque quascumque memorias, eximia fidelium religio.

HUjusmodi verò Sacratissima pignora Omnipotentem Deum manifestari voluisse, ut magis erga illa fidelium Christianorum veneratio, ac cultus ferveret; cordatus, ut puto, quisque ritè censebit. E' locis autem, in quibus apud Judæos antea condita fuerant, cur persæpè Deus plurima eorum translata, circa hæc tempora, in exteras quidem, sed Christianas regiones voluerit; Chrysostomus his verbis aperit. [Gloriosus olim Pro-
„ phetarum possessione, uti peculiaris quædam illorum agricul-
„ tura, erat Judæorum populus. Sed plaudite: gloriatio hæc
„ nunc ab eis in Ecclesiam translata est. Ecce apud nos, & Pro-
„ phetarum corpora. Neque enim congruit, ut Prophetas agri-
„ colas adhùc habeat sterilis ille populus; neque decet, ut apud
„ illos serventur Prophetæ, qui eum, quem illi predixerunt,
„ crucifixere.] Respondisse autem Divinæ huic ordinationi fidelium Christianorum pietatem; ea, præ aliis indicant, quæ de venerabilibus Sancti Prophetæ Samuelis reliquiis, ex Judæa in Thraciam, ab Arcadio Imperatore translatis; adversus impium Vigilantium scribens, his verbis tradit Hieronymus: [Sacrilegus
„ dicendus est, & nunc Augustus Arcadius, qui ossa Beati Samue-

S. Joa. Chrysost. in Eliam Tom. 1. pag. 494.

Adv. Vigilant. Operum Tom. 2. pag. 83.

„ muelis, longo post tempore, de Judæa transtulit in Thraciam ? „ Omnes Episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui judi- „ candi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos, in serico, „ & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, „ qui occurrerunt Sanctis reliquiis, & tanta lætitia, quasi præ- „ sentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, „ ut de Palestina, usque Chalcedonem jungerentur populorum „ examina, & in Christi laudem una voce resonarent ? Vide- „ licet adorabant Samuelem, & non Christum, cujus Samuel, „ & Levita, & Propheta fuit.] Hæc Hieronymus.

Eadem verò sacratissima ossa, Attico Constantinopolitano Episcopo, in eamdem urbem translata, ac honorificentissimè in Basilica, Deo, in illius honorem dicata, fuisse recondita; his verbis narrat Nicephorus: [Attico verò Episcopatum ge- „ rente, Prophetæ quoque Samuelis ossa allata, & in Prophe- „ tico ejus Fano, quod propè Septimum conditum est, collo- „ cata.] Monasterium ejusdem Sancti Prophetæ nomine, nuncupatum, fuisse etiam Hierosolymis, testatus est Procopius, dum de Justiniano Imperatore hæc scripsit: [Puteos cisternasve has „ struxit: in Monasterio S. Samuelis puteum, ac murum]. Idem ipse, dum ab eodem Imperatore instaurata Monasteria, recenset, inter alia illud recitat [Fontis S. Elisæi Hierosolymis.]

Niceph. Eccl. Hist. lib. 14. capit. 10. pag. 869.

Procop. Cæsarien. de Ædific. Justin. lib. 5. cap. 9. pag. 107.

Ibidem.

Sed, præ omnibus, quæ eximiè declarant erga quascumque Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum memorias fidelium ferventissimam religionem, illud profectò meritò videri debet, quòd ipsi, non modo Sancti Prophetæ Job, sepulcrum, sed ipsum etiam sterquilinum, adeò magna veneratione sint prosequuti, ut longas ad ipsum, ac frequentes instituere peregrinationes in Arabiam consueverint. Cujus quidem rei testis locupletissimus S. Joannes Chrysostomus existit, qui Homilia quinta ad populum Anthiochenum, ista habet. [Insuper autem, & de „ Job exemplum, & fimus, omni Tribunali Regio venerabilior: „ ex Throni namque regii aspectu, nullum erit spectantibus lu- „ crum, sed temporalis dumtaxat delectatio, nullam habens „ utilitatem: ex fimo Job autem viso, omnem quis capiet utili- „ tatem, & disciplinam multam, & exhortationem, ad patientiæ „ rationem. Itaque multi longam, & transmarinam peregri- „ nationem, à Terræ finibus in Arabiam abeunt, ut fimum illum „ cernant; & conspicati, terram deosculantur, quæ illius victo- „ ris certamina, & cruorem, omni auro pretiosiorem suscepit.] Hæc Chrysostomus.]

D. Joan. Chrisost. Hom. 5. ad Pop. Antioch.

C A P. XIV.

S. Joannis Chrysostomi sententia expeditur. Licet seriùs in Occidentem SS. Veteris Testamenti reliquiæ translatæ; haud minorem tamen erga ipsos venerationem fidelium animis insedisse, in sacris Basilicis cultui expositæ sacræ eorum imagines testantur. De SS. Machabæorum natalitiis.

Prosper. Archiep. Myren. in Apol. de S. Iob. in Append. ad Act. SS. Mensis Maii to. 7. pag. 569.

CHrysostomi verba sic dissertè explicat, quem alibi memoravimus Archiepiscopns Myrensis Prosper Bottinus: [Hæc „ verba restringi non possunt ad indicandam devotionem fide„ lium Orientalium, sed potius sunt generaliter intelligenda, „ utpotè narrantia peregrinationes, quæ à terræ finibus susci„ piebantur: magis proindè convenient fidelibus Ecclesiæ Occi„ dentalis]. Et quidem, qui transmarinum iter adoriebantur, quis non nisi Occidentales extitisse verosimilius censere non poterit?

Apud Hieronym. Fabrum in Sacr. Ravenna memoriis p. 1. pag. 124.

Iacob. Guall. Iurisc. Pap. Sanct. Pap. lib. 4. cap. 2. pag. 40. 2.

Certè SS. Prophetarum venerandas Reliquias, serius in Occidentem fuisse translatas, nemo diffitebitur, quem non lateat, anno tantum circiter septingesimo decimo octavo, (ut de aliis taceamus), S. Elisæi reliquias, Theodosii Tertii jussu, Ravennam advectas, ut inter alios, habet Sigebertus in Chronico. Nisi tamen vera, quæ sint in suo Sanctuario Papiensi Jacobus Gualle habet, ubi de Basilica S. Joannis in Burgo à Lothario Longobardorum Rege qui circa annum 638. regium sumpsit diadema, fundata, agit his verbis: [Cujus (nempè Rotharii) „ strenua manu bellica, Roma à barbaris fuit liberata; Et pro eo „ Urbi, Reipublicæque Christianæ tàm ingentis salutis præstito „ dono, grata concessione, Sedis Apostolicæ veneranda Cor„ pora Sanctorum, Felicitatis, ac Filiorum, Job quoque patien„ tissimi. Item Thobiæ Patriarchæ, Thobinique filii, atque Saræ; „ Rex ipse cum magna veneratione Ticinum deferri fecit ad eum „ Templum, ibidemque servantur]. Quæ quidem, inquam, si vera sint, cum excogitari diuturnum etiam tempus possit, quo in Urbem primùm advecta præfatorum Sanctorum Patriarcharum corpora ibidem requieverint priusquam Ticinum transferrentur; profectò ante septimum sæculum eorumdem Sacris reliquiis Occidentalem Ecclesiam ditatam fuisse, fatendum esset. Quocumque tamen modo sese res habuerit, licet serius Latina Ec-

Ecclesia has pretiosissimas exuvias obtinuerit; ex hoc certè minimè factum, ut minus Sanctissimi ipsi Veteris Testamenti justi in Occidente apud fideles in honore essent; quippe qui à majoribus, ut ostendimus, eos venerari, colereque didicissent. Uti enim illi, sæviente licet persecutionum procella, in cryptis pictas ipsorum imagines voluerunt; ita, reddita Ecclesiæ pace, qui eis successerunt, easdem imagines, ut cultui, venerationique essent, publicè in Sacris Basilicis, ac ubicumque cogendi essent fidelium conventus, cum aliis novi Testamenti sanctis, indistinctè propositas curarunt. Ad quod adstruendum, aliis prætermissis, unum afferre sufficiat S. Paulinum Nolanum Episcopum, dum de Basilica Deo, in honorem S. Felicis Martyris à se Nolæ constructa, agit. Enumeratis siquidem in illius porticu depictis Martyribus, illorum tamen nomine non expresso: nominatìm tamen ibidem nomine effigiatas, Job, Tobiæ, & Judith historias, his carminibus refert. *S. Paulin. Nolan. Natal. X. S. Felicis pag. 617.*

[Inter quæ, & modicis variatus gratia cellis;
„ Quas in portibus, (quæ longius una coactum
„ Protinus in spatium tractu protenditur uno),
„ Appositas lateri tria cominus ora recludunt,
„ Trinaque cancellis curvantibus ostia pandunt
„ Martyribus mediam pictis pia nomina signant:
„ Quos par in vario redimivit gloria sexu:
„ At geminant, quæ sunt dextra, lævaque patentes,
„ Binis historiis ornat pictura fidelis:
„ Unam Sanctorum complent sacra gesta virorum,
„ Jobus tentatus vulneribus, lumine Tobi.
„ Ast aliam sexu minor, obtinet inclyta Judith.]

Et revera, de SS. Machabæis agens, hæc meritò Cardinalis Baronius adnotavit. [Vetus quidem eorum solemnitas est, quam „ majores propensiori studio coluerunt, ut testantur complures „ Sanctorum Patrum orationes ea solemni die in Ecclesia reci-„ tate; ut S. Gregorii Nazianzeni oratio, Homil. 2. Joannis Chry-„ sostomi, quæ habetur tom. 1. Operum ejus: alia S. Gauden-„ tii Episcopi Brixiani, qui & rationem ejus celebritatis reddit. „ S. Augustini Sermo 109. & 110. de Diversis. In Sermone „ autem 109. hæc habentur, inter alia. [Sanctorum Machabæo-„ rum Basilica esse in Anthiochia prædicatur, in illa, scilicet „ Civitate, quæ Regis ipsius persecutoris nomine vocitatur: „ Anthiocum quippe Regem persecutorem impium pertulerunt, „ & memoria martyrii eorum Antiochiæ celebratur, ut simul „ sonet, & nomen persecutoris, & memoria coronatoris: Hæc „ Basilica à Christianis tenetur, & à Christianis ædificata est &c.] *In Not. ad diem prim. Augusti.*

Hæc

„ Hæc Augustinus. Est, & de ejusdem sermo S. Leonis Papæ „ quo significat hanc solemnitatem frequenti populo Romæ per- „ agi consuevisse &c. De eadem solemnitate olim agi consueta, „ meminit S. Ambrosius, scribens ad Theodosium Imperatorem. „ *Epist.* 17. *lib.* 1. *edition. Roman.* Est, de eadem sermo S. Maximi „ nomine, Eusebii Emisseni. Idem sermones quatuor, de S. Eu- „ sebio Vercellensi, in quibus sicut de illo, ita etiam agitur de „ Machabæis, cum una, eademque die ipsorum omnium agere- „ tur Natalis dies &c.]

Sic ille, ex quo paret, ex veteri, tàm in Occidentali, quàm in Orientali Ecclesia instituto, Sanctorum Machabæorum, licet ad vetus Testamentum pertinentium, celebritatem peragi consuevisse. Cur autem de solis hujusmodi Martyribus Occidentalis Ecclesia natalitia colere, ex antiquo more soleat; qui compertum habere desiderat, eumdem Baronium loco citat: Theophilum Raynaudum in Netheroclit; Opusc. *Tom. XV. Punc. V. pag.* 282. & alios propè innumeros consulat, qui de hoc copiosissimè disseruerunt: quibus, pro modulo, quæ censui, subnectam.

C A P. X V.


Quid sentiendum de Natalitio in Latina Ecclesia, inter Sanctos veteris Testamenti solis SS. Machabæis generatìm concesso.

EX veteri more, universè Occidentalem pariter, & Orientalem Ecclesiam, Sanctorum Machabæorum annuam solemnitatem celebrare consuevisse, diximùs. At Orientalem natalitia cæterorum quoque veteris Testamenti Sanctorum, colere solitam fuisse, negabit nemo. Quod autem Occidentalis, ab his abstinuerit, (si sententiam, inquam, promere liceat), ea ferè ratione ab ea factum videtur, ob quam ab innumeris pœnè Occidentalium etiam novi Testamenti Sanctorum quamvis ad se propius pertinentium, solemniis celebrandis, temperavit; quæ tamen in propriis provinciis, regionibusve, in quibus floruerunt, ritè, ac jure celebrari permisit. Consulat, cui vacat, antiqua Missalia, ac Liturgias, præcipuè Romanæ Ecclesiæ, serióque perpendat, quot in illis offendat Sanctorum, sive Martyrum, sive Confessorum, Lusitaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, aliarumque Provinciarum, Regnorumque natalitia: compertumque habebit, præter unius, vel alterius, ex propè innumeris Sanctis illis, memoriam non offendi; recensque tantum

tum in nova Breviaria ipsorum nomen & solemnitatem invectam esse.

Quid plura? Eadem Sancta Romana Ecclesia innumerabilium planè Martyrum, & Confessorum, quos ipsemet enixa est: imò ipsorum Sanctorum Summorum Pontificum, qui illam sanctitatis fulgore illustrarunt, annua fortè natalitia antiquitùs celebranda instituit, vel modo celebrat? Vel potius, ex his, paucos admodum, eo honore prosequitur? Idem dicas opportet de Sanctis Martyribus; paucissimos siquidem, natalitiorum cultu exornavit; non quod aliis gloriam eam, vel non tribuendam, vel detrahendam censuerit; sed quod omnibus eam impertiri nequiverit.

Sicut igitur, ut diximus, unius tantum, vel alterius Sancti Occidentalium particularium Ecclesiarum, universalis Ecclesia natalitia celebrare antiquitùs consuevit, si tamen celebravit: Et ipsa Sancta Romana Ecclesia, paucis admodum Sanctis suis hanc gloriam tribuit; ita quid mirandum, quod veteris Testamenti solis SS. Machabæis eum honorem concesserit? Eâdem quippè ratione cum illis egit, qua cum proximè sibi adhærentibus, licet novi Testamenti Sanctis sese gessit. Ex hoc autem, uti ritè elici non valet, natalitia, & cultum iis, vel denegasse, vel denegare, quorum universè natalitia ipsa, vel non potest, vel celebrare non potuit; sic, ex non celebrata tota Ecclesia, nisi SS. Machabæorum solemnitate, educi nequit, cæteris quoque Sanctissimis Patriarchis, & Prophetis natalitia, & cultum Ecclesiam denegasse. Approbavit illa, ratamque habuit, venerationem, cultum, celebritates, quibus Sanctos Martyres, vel Confessores, aut Virgines, unaquæque regio peculiares habuit, licet eas non celebraverit. Approbavit etiam in Sanctorum veteris Testamenti honorem, Deo templa dicari, iis cultum exhiberi, eorumdemque natalitia in locis illis, in quibus conditi sunt, vel eorum reliquiæ servantur, celebrari. Unde solis SS. Machabæis universè concessa solemnitas, nihil officit aliorum solemnitatibus, quin ritè, & jure celebratæ non fuerint, ac celebrentur.



CAP.

C A P. XVI.

Veteris Testamenti sanctos, æquè ac illos novi, Ecclesia Catholica invocat. Eorum laudes, ac Præconia, ex SS. Patribus.

Nicol. Serrar. Operi Theolog. in Litaneuticis c.13 pag.67. tom.3.

HIs addi posset Sanctos veteris Testamenti, uti reliquos novi, antiquitùs precibus invocatos. Qua de re nonnulla, ex Nicolao Serrario afferre sufficiat, in Litaneuticis, ubi scribit.

;, [S. Job ora pro nobis. *Origen. lib. 2. comment. in Job*. Et Grecæ in eumdem Job Catenæ *Auctor. cap.* 21. S. Hieremia, ora pro nobis, apud S. Epiphanium lib. de Prophetis.

S. S. Sidrac, Misach. & Abdenago: orate pro nobis. Liturgia S. Basilii Arabica.

S. Jona ora pro nobis. D. Hieronymus Præfatione in ipsius librum.

S. Eleazare, Machabæorum Magister, ora pro nobis. *D. Ambros. lib. 2. de Jacob*.] Hæc Serrarius, *qui Litaneutic. 2. Quæst. 17. pag.*80. eadem confirmat.

At, præter hæc venerationem Sanctis Patriarchis, ac Prophetis exhibitam, à nullo magis, quàm ab iisdem SS. Patribus, qui ipsorum præclara facinora, eximiis laudibus celebrarunt, cognoscendam, intelligendamque esse censemus; ideòque ex dissertissimo Theophylo Raynaudo, uberrimum eorumdem Patrum indicem, licet contractum, qui rei hùic incubuerunt, hic dandum non immeritò censuimus.

Theoph. Raynau. Hoteroclit. Spiritual. Oper. Tom. XV. pun. 5. pag. 283.

„ [Latè de Abele (inquit) S. Ambrosius, libris duobus. „ Basilius Seleuciæ, fuisse Martyrem ostendit.

„ Enochi sanctitas, & insignis virtus celebratur. Cap. 44. „ Ecclesiastici.

„ Nœmo, quid sanctius, atque perfectius? Quem usque adeò „ commendat S. Ambrosius, de Noe, & Arca 1. ut dixerit, „ eum à Deo provisum esse, in seminarium justitiæ. S. Chry- „ sostomus, dearticulatè, & sigillatim, de sancti hujus viri vir- „ tutibus plura tradit. Homil. 23. in Genesim, & aliquot se- „ quentibus, & libro primo de Providentia. Scitè Basilius Se- „ leuciæ, *Homil.* 5., *& S. Ephrem. Tom.* 3. *sermon.* 9. Abrahami „ Sanctitatem uno ore celebrant Patres. Videndi nominatim „ Philo Judeus lib. de Abraham. S. Ambrosius, duobus de eo „ libris. S. Ephrem, Oratione de Abraham, & Isaac. *Chrysosto-* „ *mus in Genes.*, *à cap.* 11. *& ab Homil.* 31. & Homilia, de fide „ Abraham, ac sæpè alibi. Zeno Veronensis, tribus Sermoni-

bus,

„ bus, de Abraham. Basilius Seleuciæ, Orat.7. Fidem ejus egre-
„ giè expendit S. Basilius *in Constit. Monasticis cap.2.* & Nyssenus
„ lib. de Deitate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Auctor q. q.*
„ ex utroque mixtim apud Augustinum in 117. De ejusdem obe-
„ dientia, luculenter S. Basilius *in Constit. Monastic. cap.23.*, &
„ quotquot præparationem ad filii mactationem expendunt.
„ Cujusmodi præsertim Basilius Seleuciæ, *illa Orat. 7. Chrysosto-*
„ *mus sermon.3. in 2. Corint., & orat. de S. Abraham tom. 1. Græ-*
„ *colat. & lib. ad scandalum passos cap. 10. Ambrosius 1. de Abraham*
„ *cap. 8. Zeno Veronens. sermon. de patient. sub finem. Augustin.*
„ *serm. 73. de tempore. Fulgentius serm.5. ex novis.*

„ Isaaci decora fuse prosequutus est justo opere S. Ambro-
„ sius. Benè item S. Ephrem. *Orat. de Abraham, & Isaac.* Et
„ perspicua imago Christi, *ex Origen. Homil. 8. in Genes.* Sicut
„ Pater Æternus Abrahami, qui volens tradidit filium.

„ Jacobum Patriarcham, duplici libro laudavit S. Ambro-
„ sius. Benè etiam S. Chrysostomus. Homil. de Jacob, & Esau.
„ Fuisse Christi perillustrem typum, monstrat *S. Augustinus 16.*
„ *Civit. cap. 37.* & latius Justinus, Dialogo cum Tryphone, sub
„ finem.

„ Josephi sanctimoniam, & eximias dotes, plena lauda-
„ tione prosequutus est S. Ephrem. Et S. Ambrosius libro integro.
„ Chrysostomus speciali homilia, de Continentia Josephi, & alte-
„ ra, de ejus venditione; & *Homil.44. in Genesim, & Epistol.3.*
„ *Cap. 7. & Homil. 4. in Epist. ad Titum*, in morali. Itemque
„ *Homil.4. in 1. ad Thessalonicens.* sub finem. *Cyprianus lib. de Bono*
„ *pudicitiæ. Nyssenus Orat. in illud:* Qui fornicatur, in corpus
„ suum peccat. *Basilius Seleuciæ Orat. 8. Isidorus Pelusiota lib.2.*
„ *Epistol.136. & lib.4. Epist.79. Theodoretus Sermon.8. de Providen-*
„ *tia. S. Gregor. 30. Moral. Cap.18. Fulgentius serm.12.* ex novis.

„ Jobum celebrat insigniter S. Chrysostomus, pluribus de
„ eo Homiliis, qui etiam eum valde commendat, à constantia.
„ *Homil. 8. in ad Philipp.* Idem *Homil.5. ad populum. Tertullianus*
„ *lib. de Patientia. S. Gregorius,* in Opere Moralium, circa *lib. Job.*
„ passim eum statuens Christi typum. Augustinus, de eodem
„ optimè *Epist.33. &c. Isidorus Pelusiota lib.3. Epistol.106. Fulgen-*
„ *tius Serm. novo 70. & 71.*

„ Mosis ornamentorum celebrandorum nunquam parci
„ sunt Hebræi; & benè Philo tribus de eo libris. Ex nostris Nys-
„ senus libro ejusdem argumenti, & tractatu priore in *Psalmos.*
„ *Cap.7. Basilius Orat. 9.* Insigniter, & breviter *Clemen. Roma-*
„ *nus 6. Constit. cap.3.*

„ Josue, qui, & quantus coràm Deo fuerit, S. Ambrosius

pul-

„ pulchrè notavit, purgans bonitatem, qua sibi passus est, pro „ more bonarum mentium, imponi à Gabaonitis. Ita ille *lib.3.* „ *de Offic. Cap.*10.

„ Samuel Deo, & hominibus acceptissimus, sæpè memoratur in Scripturis, & in Patribus. Videsis Chrysostomum, „ *Homil.* separata in illud 2.*Corint.* 11. Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.

„ Sed vix est in antiquis Patribus, & Patriarchis, qui tot, „ tantaque laudum retulerit præconia, quot, & quanta David; „ quem cum adipe, à carne separato, præ cæteris Hebræis „ composuit Syracides *Cap.*47. Extollunt, super eximiorum veterum sanctitatem, David virtutes, S. Ambrosius in Apologia David. *Basilius Seleuciæ Orat.* 14. 15. 16. 17. *Chrysostomus.* „ *Homil. quinque, de Davide, Saule, & Goliath. Salvianus lib.*2. „ *de Providentia.*

„ Eliæ Sanctitatem perpulchrè prosequitur *Auctor Homiliæ,* „ *de Ascensione Eliæ Tom.*1. *Chrysostomi. Basilius Seleuciæ Orat.*11. „ *S. Ephrem Tom.*3. *Homil. de Elia.*

„ Elisæum, Basilius Seleuciæ *Orat.* 10. celebrat, & *Fulgentius Serm.*18. 19. & 20. ex novis. *S.Ambrosius, Serm.*86.87.

„ Tobiam celebravit S. Ambrosius, & libro integro.

„ Tres Pueri Babylonici, *Chrysostomus Homil.* 18. *in prima* „ *Corint. Homil.*8. *in Epistol. ad Ephes. & Epist.*4. *S.Ephrem Tom.*3. „ *De eis Eucherius Homil.*3. *de Epiphan.*

„ S. Susanna, *Bernard. Sermon.*3.*de Annunciat. S. Cyprianus,* „ *lib. de bono pudicitiæ. Asterius, Homil. de Susanna, & Daniele.*

„ Mittamus cæteros, his vel anteriores ante Christum Sanctos, quandoquidem ex paucis illis, quos protuli, abundè „ habemus, unde confirmemus, eximiam planè fuisse plurimorum Christo anteriorum sanctitatem: nec per eam stare posse, „ quominus, & festis honoribus, & eo cultu, quo Ecclesia Sanctos novi Testamenti prosequitur, clari habeantur. Agnoverunt sanè id prisci illi Christiani, qui parvulos suos, ad omnem excitaturi sanctimoniam, nominibus, non Avorum, vel „ Atavorum, ut Gentilibus in more erat, sed Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, eos nominabant, ut scribit „ *Eusebius lib.*8. *Hist. cap.*16. alias 21. Rati eos, vel commemoratione sola tantorum nominum, stimulandos esse ad omnem „ virtutem, ne degeneres viderentur ab iis, qui prius hujusmodi „ nominibus fuerant insigniti. Hoc fuisse institutum Parentum, „ in illa diligentia nominum, sanctitatem ingerentium suis liberis imponendorum, observat *S. Chrysostomus. Homil.* 21. *in* „ *Genes.* ad illud (*appellavit nomen illius Enos*). Itaque hinc

pa-

„ patet, veteres Christianos, eximiam horum Sanctorum, apud
„ Deum gratiam, & sanctimoniam perspexisse]. Ista Raynaudus.

C A P. X V I I.

Sanctorum veteris Testamenti virtutes, ab Apostolo celebratæ. Imitatione, ac praxi virtutum, ante Christum, Christiani censendi.

SEd omnium Patrum dictis, meritò præferenda sunt Sanctissimorum Patriarcharum, & Prophetarum præconia, ab ipsomet Apostolo divinitùs recitata, cum, videlicet, ad Hebræos scribens, pluribus eorum nominatim recensitis, tandem concludit. [Sed quid aliud dicam? Deficiet enim me tempus enar- *Ad Hebræos capit. 11.*
„ rantem, de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel,
„ & Prophetis, qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt ju-
„ stitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,
„ extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, conva-
„ luerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra ver-
„ terunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione
„ mortuos suos.]

Et quidem hinc factum est, ut plerique Patres eosdem veteris Testamenti justos, licet antè Christum floruerint, imitatione tamen, ac praxi virtutum, quas idem Salvator deinde docuit, Christianos eos, nuncupare non dubitaverint. Quare Chrysostomus, Abrahamum laudat, quod jam Evangelicam didicisset sententiam, qua filiorum amor, Dei amori postponendus docetur; & de Job loquens: [Job, dum tentatur, (in- *Apud Raynaud. ut sup.*
„ quit) apparet scientia, quæ post multa tempora danda erat, *S. Jo: Chrysostom. Homil. in Job. & Abraham.*
„ Spiritu Sancto erudiente, edoctus. Quo pacto demonstrabitur
„ hoc? Nondum erat Lex, & longè ante Evangelii prædicatio-
„ nem præcessit. Quintus enim erat ab Abrahamo, & Nepos
„ Esau; & Legem servavit sacrificando, & Evangelium cum co-
„ gitationibus certando. Vitulum enim sacrificabat, quasi Le-
„ gem videns, & de internis cogitationibus sollicitus erat, quasi
„ Evangelium spectans &c.]

D. Ambrosius, de S. Patriarcha *Josepho cap.* 1. [Illud (in-
„ quit) mirabile, si diliges inimicum tuum, quod Salvator do-
„ cuit. Jure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Evangelium, ut
„ læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret
„ injuriam; sed gratiam, pro contumelia solveret, quod post
„ Evangelium omnes didicimus, & servare non possumus.]

Idem de Davide *Serm. XI. in Psalm.* 118. *ad v. 6.* ad illud :
„ [Omnia præcepta tua veritas] . [Quæ præcepta (inquit) nisi
„ illa: si me persequuti sunt,& vos persequentur? Hæc præcepta
„ David , anterior licet Incarnationis sacramento , jam tamen
„ audiebat in spiritu , & quasi Christi discipulus , non subtrahe-
„ bat se passionibus , sed certaminibus offerebat] . Cœtera, quæ
afferri possent de hac re Sanctorum Patrum luculentissima te-
stimonia , brevitati studentes , datâ operâ prætermittimus .

His autem D. Augustinus permotus, de iisdem Sanctis veteris Testamenti Patribus , pluribus in locis , sed præcipuè *lib.* 1. *contra Epist. Pelagian. cap.*4. differens , scripsit . [Hi pertinent ad
„ Testamentum novum , filii promissionis , & regenerati à Deo
„ Patre , & libera Matre . Hujus generis fuerunt omnes justi ,
„ & ipse Moyses , testamenti Minister veteris, hæres novi ; quia
„ ex fide , qua nos vivimus , una , eademque vixerunt, Incarna-
„ tionem , Passionem , Resurrectionemque Christi credentes fu-
„ turam , quam nos credimus factam , usque ad ipsum Joannem
„ Baptistam] . Et infrà . [Eadem igitur fides , & in illis , qui
„ nondum nomine , sed reipsa fuerunt ante Christum, & in istis,
„ qui non solum sunt , verùm etiam vocantur ; & in utrisque ea-
„ dem gratia, per Spiritum Sanctum: unde dicit Apostolus : Ha-
„ bentes eumdem spiritum fidei , secundum quod scriptum est :
„ Credidi , propter quod loquutus sum , & nos credimus , pro-
„ pter quod , & loquimur &c.] . Hæc Augustinus .

Et de Civit. Dei lib. 18.

C A P. X V I I I.

Summam in Sanctos Veteris Testamenti venerationem suam Catholica Ecclesia testatur , dum in Missæ Sacro Canone alibiquè eorum merita recenset .

PRæter hæc verò, eximiam , summamque venerationem , qua Sanctissimos veteris Testamenti Patres semper Catholica Ecclesia prosequuta est, testatam facit sacrosancti Sacrificii Missæ antiquissimus Canon, in quo hæc recitantur: [Supra quæ pro-
„ pitio , ac sereno vultu respicere digneris , & accepta habere ,
„ sicuti accepta habere dignatus es munera,pueri tui justi Abel,
„ & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ , & quod tibi obtulit
„ Summus Sacerdos tuus Melchisedech , sanctum Sacrificium ,
„ Immaculatam Hostiam] . Quæ quidem verba , sic explicat Durandus .

„ No-

„ Nominantur isti tres Patres veteris Testamenti : quia illi „ eorum Sacramenta specialius cæteris, hoc Sacramentum præ- „ signaverant. Quid enim per manus Abel offerentis de primo- „ genitis gregis, nisi Christus primogenitus in multis fratribus „ exprimitur: qui malitiosè occisus est à populo Judæorum, sicut „ ille invidiose à fratre suo? Nam, secundum Apostolum: Ipse „ est Agnus Dei, qui occisus est ab origine mundi. Quid per „ Sacrificum Abrahæ, dilectum, & unicum filium offerentis, „ nisi Christi passio designatur? De quo dicit Apostolus: Proprio „ filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit „ illum. Hic est, (inquit) filius meus dilectus, in quo mihi com- „ placui. Oblatio quoque Melchisedech, tàm propriè novum „ sacrificium præsignavit, ut inde prædictum sit: Tu es Sacerdos „ in æternum, secundum Ordinem Melchisedech: qui, secundum „ Apostolum, assimilatus per omnia Filio Dei, manet Sacerdos „ in perpetuum.]

Durand. in Rational. Divin. Offic. lib. 4. de Octav. 7. can. pag. 178. 2.

Rom. 8.

Apocalyps. 5.

Rom. 8.

Matth. 17.

Psalm. 109.

Hebr. 7.

Meritò igitur Catholica Ecclesia, quæ adeò magnificè, de præclarissimis SS. Veteris Testamenti virtutibus gestisque censuit, eaque in sanctioribus suis Misteriis celebrandis, apud Deum in medium protulit, pari veneratione, ac cultu, usque ab initio eos prosequuta est, prosequiturque insuper, tàm in Itinerario Clericorum nuncupato ac Litaniis, tùm multò magis in Ordine commendationis animæ, in quo, & insimul omnes Patriarchas, & Prophetas, & eorum plures singillatim etiam invocat, & exorat.

C A P. XIX.

S. Gregorii Turonensis, digna memoratu Historia.

AT licet ad rem, de qua agimus minus congruere videatur; illud nihilominus, quod ad Patres veteris Testamenti pertinet, prætereundum non duximus, quod S. Gregorius Turonensis narrat his verbis. [Sed nec illud, (inquit) absurdum est „ credere, quod sæpiùs, per visiones expertas Dominus revelare „ dignatur, qualiter, *aut honorentur Sancti*, aut infirmi medi- „ camina consequantur. Nam recolo gestum in infantia, cum „ Pater meus ab infirmitate humoris podagrici laboraret, & ar- „ dore febrium, ac doloribus multis adtenuatus, lectulo decu- „ baret, vidisse me in visu noctis personam dicentem mihi. Le- „ gisti, ait, librum Jesu Nave? Cui ego: Nihil aliud litterarum, „ præter notas agnovi in quarum nunc studio constrictus affli- „ gor. Nam hic liber prorsus, an sit ignoro; & ait: Vade, inquit,

S. Greg. Turon. de Glor. Confess. cap. 40.

fa-

„ facitoque haſtulam parvam ex ligno, quod hoc nomen recipere
„ poſſit, ſcriptumque ex atramento, ſub paterni capitis fulcrum
„ colloca; erit enim ei præſidium, ſi quod loquor impleveris.
„ Manè autem facto, Matri quæ videram indicavi: jubet impleri
„ viſionis præcepta. Quod cum feciſſem, ſtatim Genitor, ab
„ infirmitate convaluit. Decurſo quoque alterius anni curri-
„ culo, iterum ab hoc incommodo capitur: accenditur febris,
„ intumeſcunt pedes dolore peſſimo, nervi intorquentur. Hæc
„ perferente, dum cum magno gemitu in ſtratu decumberem,
„ vidi iterum perſonam in viſione interrogantem me, ſi Librum
„ Tobiæ cognitum nunc haberem. Reſpondi, quod non legerim:
„ qui ait: Noveris hunc fuiſſe cœcum, cujus filius, Angelo co-
„ mite, dum iter ageret, in flumine piſcem cœpit. Cujus, in-
„ dice Angelo, cor, jecurque ſuſtollens, Patris ſuffomigat ocu-
„ los, qui ſtatim fugatis tenebris, lumen recepit. Vade igitur
„ tu, & fac ſimiliter, & accipiet refrigerium dolorum Genitor
„ tuus. Hæc Matri cum referrem, confeſtim pueros ad amnem
„ dirigit: piſcis capitur, ſubtracta ſunt de extis, quæ juſſa fue-
„ rant, & prunis impoſita: at ubi primùm fumus odoris Patrem
„ adtigit, protinus tumor, dolorque diſceſſit]. Iſta Gregorius,
quæ quidem divinitùs patrata cenſenda ſunt, ut ſicut ipſemet
dicit, Sancti veteris Teſtamenti honorarentur.

Libri Primi Finis.



SS. PA-

SS. PATRIARCHARUM
E T
PROPHETARUM, &c.
CULTUS PERPETUUS

LIBER SECVNDVS,

In quo Sanctorum, non Mertyrum, à Primo, usque ad Septimum Sæculum, in Ecclesia Græca, & Latina cultus adstruitur.

C A P. I.

Calvini, contra Sanctorum venerationem argumentum, ex non cultu Sanctorum Veteris Testamenti desumptum; non satis explosum à veneratione solis SS. MM. exhibita. Ecclesia Catholica Sanctos Martyres, & non Martyres semper coluit.



Erditissimus Calvinus, Hagiomacorum posteriorum temporum facilè princeps, ex eo quod Catholica Ecclesia Sanctorum veteris Testamenti festiva solemnia celebrare non consueverit; id ab ea factum contendit, ut novitatem cultus Sanctorum malignè, superstitiosèque intruderet. Veteri siquidem, primitivæque Ecclesiæ illum omninò ignotum fuisse, insolentissimè asserit.

Calvin. lib. 3. Instit. cap. 20. §. 25. Apud Raynaud. Tom. 15. Heterocl.

Et Serrar. in Opusc. Theologic.

At sicuti, quæ superiori libro diximus, satis superque falsitatis arguere Calvinum noscuntur; ita, quæ in hoc scribenda suscepimus, non satis nequissimi illius ignea tela repulisse, (Deo favente) eos ostendent, qui, ut illius, ac aliorum ei similium, ac sectatorum mendacia refellerent, contra apertissimum mendacium, Basilicas, Memorias, Natalitia, & hujusmodi alia, quæ in honorem Sanctorum Martyrum, sub ipsius Ecclesiæ primordia

dia celebrata fuisse, nisi impudentissimus negare poterat, dumtaxat objecerunt. Nam, ad ejusdem dejicienda commenta, non Martyres tantum, sed & eos, quos Confessores modò appellamus, Sanctasque quoque Virgines, ac Mulieres, locupletissimum cultum obtinuisse, revolutis paulisper Ecclesiasticis monumentis, probare possumus.

Neque enim putandum est primitivam Ecclesiam, quæ astitit à dextris superni Sponsi, minime fuisse circumdatam varietate; eamque sola candidatorum Martyrum purpura fuisse insignitam. Nam etsi plures Fidelium, acerbissimo sævientium persecutionum tempore donum id consecuti sint, ut nimirum pro Christo mortem obirent, non ideò tamen omnes, licet, & fide, & operibus præclarissimi. Ecclesiam ipsam, (ut verbis Bedæ venerabilis utar), quam honor Divinæ dignationis dilucidiùs illuminabat, gloriosius quidem Martyrum sanguinis exornabat; sed inviolatæ etiam Confessionis candida induebat Virginitas. Floribus ejus, nec rosæ, nec lilia deerant. Et ad utrosque honores credentium certabant singuli, ut amplissimam acciperent dignitatem, coronas, videlicet, vel de Virginitate candidas, vel de Passione purpureas.

Psalm. 44.

Bed. Ven. Serm. 18. de Sanctis.

Cum verò perspicuè Ecclesia eadem compertum haberet: „ [In Domo Patris multas mansiones esse]: [Ibique, (nempe in „ Cœlesti Regno, ut loquitur Cyprianus), Apostolorũ gloriosum „ Chorum, illic Prophetarum exultantium numerum, illic Martyrum innumerabilem populum, ob certaminis, & passionis „ gloriam coronatum; & triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis, & corporis, continentiæ robore subegerunt: remuneratos misericordes, qui alimentis, & largitionibus pauperum, justitiæ opera fecerunt; qui Dominica „ præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia „ transtulerunt]: Quæ hæc, inquam, probe intelligebat Ecclesia, ac præter gloriosissimos Martyres; & Virgines, & Misericordes, & alios præclaris virtutibus exornatos, earum merito, immortale præmium assecutos esse sciebat; qua ratione impensè colere illos non debuit, quos eamdem cum Sanctis Martyribus æternam gloriam adeptos esse cognovit? [Ne putemus, „ (inquit Bernardus) solos Martyres esse dilectos, cum recolamus dictum de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit. De- „ nique: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Non solum, „ qui pro Domino fiunt Martyres, sed qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profectò beati sunt]. [Nec enim (dicebat, quem memoravimus, Martyr ipse inclytus Cyprianus, „ qui persecutionum temporibus floruit), Deus Sanguinem nostrum,

Ioan. 14.

D. Cyprian. de mortalit. in fin.

D. Bernar. Epist. 91. in fin.

Ioan. 11.

D. Cyprian. de mortalit.

„ ſtrum, ſed fidem querit. Nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob „ occiſi ſunt; & tamen fidei, & juſtitiæ meritis honorati, inter „ Patriarchas primi eſſe meruerunt: ad cujus convivium con- „ gregatur quiſquis fidelis, & juſtus, & laudabilis invenitur.]

Et quidem, uti Prophetas, ac veteris Teſtamenti Sanctos alios, (ſi Machabæos Martyres, ob eam, quam attulimus rationem excipias) indiſtincte, ut vidimus Eccleſia coluit, nullo, nimirum reſpectu habito, inter eos, qui naturali morte occubuerunt, ac alios, uti Iſaiam, Ezechielem &c., qui martyrio coronati ſunt. Sic primitiva eadem Eccleſia, quamvis aliquid majoris venerationis, ac cultus, Sanctis ſuis Martyribus contuliſſe viſa ſit; aliis tamen, qui poſt exactam in ſanctitate, & juſtitia vitam, in Domino obdormiviſſent; quorum, ut plurimum, ſanctitatem miraculis ac prodigiis Omnipotens Deus teſtatam fecit, honores, & venerationem ſubtraxiſſe, cenſere æquum non videtur. Quæ enim Sanctos, (ut ita dicamus) ſibi extraneos, licet non Martyres coluit; quo pacto, quamvis non Martyres, Sanctos ſuos deſpicere debuit? Miſericors ipſe Dominus, qui ſubſtantialem, æternamque illis cum Sanctis Martyribus, in Eccleſia triumphante contulit gloriam: accidentalem eis denegatam voluiſſe in militanti, putandum non videtur.

C A P. I I.

Sanctis utriuſque ſexus, qui Martyres non extiterunt in Sacris Cœmeteriis antiquitùs, vel inter Martyres, vel Martyribus juxta illos locus attributus. Sacræ Cryptæ, uti SS.MM. ita Sanctorum, qui hujuſmodi non fuiſſent imaginibus indiſtinctè decoratæ.

SAnctos Martyres in Cœmeteriis, ſeu Arenariis, & Cryptis in quibus cœteri quoque indiſcriminatim Chriſtiani ſepelliebantur, ſepulturæ paſſim mandatos, neminem latet. Erant Cryptæ ipſæ priſcis ſæculis, recondendis fidelibus defunctis, omnibus communes. Enim verò, ſicut Martyrum ſepulcra, vel Palmæ, vel Sanguinis vaſe, vel Epigraphe aliqua conſignabantur, ut, inter alia internoſcerentur: ita Sanctorum Virorum ac Mulierum, qui in pace quieviſſent ſacris Corporibus datum, quod aliis non conceſſum dignoſcitur. Vel enim Martyres apud eos tumulo tradebantur; vel viciſſim, honoris, ac venerationis

causa, ipsis inter Martyres sepultura attribuebatur. Utriusque rei producantur exempla.

Primo Ecclesiæ Sæculo S. Petronilla, Apostoli Petri filia, in pace ad Christum migravit. Sæculo eodem Nereus, & Achilleus, pro Christo gloriosè occubuerunt. Ut condigna sepultura honestarentur, quid factum fuerit recitatur apud Henschenium. *Sub die 31. Maii Act.SS.to.7.pag.421.n.4.his verbis*. [SS. Nereus, „ & Achilleus, sepulti *juxta sepulcrum*, in quo sepulta fuerat „ Petronilla Apostoli Petri filia]. Idemque, ex Arringhio confirmat Henschenius idem. *Ibid. ut supra num.6.*

E' contra verò S. Balbina, (ut dicitur in Romano, aliisque Martyrologiis), quæ Sæculo Secundo floruit, à S. Alexandro Papa baptizata, post devictum hujus sæculi cursum, *juxtà patrem suum Beatum Quirinum Martyrem sepelitur*.

Sub die 31. Martii in Act.S.Alexandri Papa ejus Acta habentur.

Sed ne putetur, ob solam sanguinis afinitatem, honorem hunc Balbinæ fuisse concessum, quod, nempè juxta Martyrem sepelliretur; illud prohibet quod Sæculo Primo cum S. Antonio Eremita Lucensi Fideles egisse, ex M. SS. per Franciscum Mariam Florentinium, sub die 27. Aprilis, ejusdem *To.1. Act.SS. pag.478.*, apud Paperbrochium legitur. Converterat Antonius ipse, quam incolebat cellulam, in Confessorum, præcipuè verò, in SS. Martyrum Cœmeterium. Cum igitur, è vivis ipse excessisset, quid cum illius corpore, honoris gratia, Christiani gesserint, ejusdem Acta his verbis testantur. [Cujus gloriosum cor„ pus, cum hymnis, & laudibus, in eadem cellula fuit sepultum, „ quæ S. Georgii Basilica hodiè vero nomine nuncupatur; *in qua* „ *B. Antonius consueverat sepellire SS. Martyrum, Confesso*„*rum corpora multa*]. Confessorum verò nomine, Primo Sæculo, (ut inferius explicabimus) eos fuisse nuncupatos, qui coràm Tyrannis Christum confessi essent; Ecclesiasticorum vocabulorum nemo peritus ignorat.

Act. SS. sub die X. Maii Tom. 2. pag.530. num.72.

Eàdem etiam honorificentia, decretam primùm, deindè attributam fuisse Sepulturam S. Talaleo Confessori Leontino, (quem in Indice Chronologico Mensis Maii, diem obiisse, sub anno 251., Bollandiani notant), à cœteris Christianis, quorum aliqui Martyres etiam evaserunt; eorumdem Acta, (inani indistinctoque conatu intemperantissimè à Pseudocensoribus impetita), his verbis testantur. [Paucis post diebus in eodem loco „ Talaleus ægritudine oppressus, obivit, confitens, & adorans „ eum, qui nobis spiritum dedit, & vitam; ob cujus mortem re„ liqui tristati fuerunt. Cumque, de sepulturæ loco consulta„ retur, Alexander dixit: Eamus in Suburbanum Anzianorum, „ *& sepeliemus, ubi reconditæ sunt reliquiæ Sanctorum viginti mili*„ *tum*.

„ *tum*. Et ita fecerunt. Cum venissent autem in eum locum, „ iuvenerunt unum Sepulcrum apertum, in quo aliquot ex mi- „ litibus fuerant sepulti. *Ibi Talaleum deposuerunt, sepulcrumque* „ *concluserunt*.]

Nec solum preclarissimos sanctitate Viros, ac Mulieres, attributo eis, vel cum Martyribus honorificentissimo tumulo; vel Martyribus tumulo juxta eos concesso, prisci Fideles honestarunt. Sed etiam, uti Prophetarnm, ac Martyrum, sic etiam sacris eorum imaginibus, Cryptas, in quibus recondebantur, (ne quid minus venerationis, ac honoris eis tribuere viderentur), decorare consueverunt. Qua de re unicum afferre sufficiat testem Antonium Carracciolum, de Sacris Neapolitanæ Ecclesiæ monumentis: Nam ubi de Sancto Agrippino Episcopo agit, qui Neapolitanam, sub anno circiter 160., nempè Sæculo Secundo rexit Ecclesiam, hæc inter alia, habet. [Enim „ verò fuisse B. Agrippinum in Cœmeterio primùm sepultum, „ ex veteri more probari potest. Priscis enim illis temporibus. „ sæviente Infidelium persecutione, rarò in Ecclesiis, aut Ora- „ toriis, ut plurimum verò in Cryptis, Arenariis, ac Cœme- „ teriis Sanctorum, ac Cristianorum corpora condebantur. Fa- „ vet nostræ sententiæ *vetus Agrippini effigies, quæ in Cœme-* „ *terio S. Januarii, hodieque visitur, rudi, sed antiquo schema-* „ *te veneranda*. Nec verò Neapoli fuit infrequens, in Cœme- „ teriis extra vrbis mœnia tumulatio. Nam in Cœmeterio, quod „ dictum est S. Gaudiosi, multa fidelium, imò & nonnulla Di- „ vorum corpora sepulta fuisse; tùm *vetustæ effigies, ex musi-* „ *vo expressæ*, quas Baronius se, cum Neapoli fuit, vidisse te- „ statur, *notat. in Martyrologio Roman. die* 28. *Octobris* palàm, „ ostendunt: tùm etiam, ex eo colligitur, quod sæpè apud Jo: „ Diaconum, aliosque antiquos Scriptores, Episcopi, aut alii Nea- „ politani Cives leguntur extra mœnia conditi. Ex his itaque, „ aliisque nonnullis antiqnissimis vestigiis, probaliter mihi vi- „ deor posse affirmare, B. Agrippinum fuisse primò extra mœ- „ nia sepultum, in ipso fortè Cœmeterio, quod postea S. Janua- „ rii vocatum. Deinde verò, pace per Constantinum Ecclesiæ „ reddita, in Ædem S. Januarii extra mœnia, à B. Severo con- „ structam, ab eodem fortasse Severo translatum, nonnemo „ existimat. Enimverò diù jacuisse Agrippini sacrum corpus „ in jam dicta Ecclesia S. Januarii extra muros, illud argumen- „ tum esse videtur aliquibus, quod Ædes illa, non Januarii solum- „ modò, sed etiam Agrippini nomine, Deo dicata olim fuit, „ ut tradit Joannes Diaconus in Chronico Episcoporum, dum „ agit de Victore Episcopo &c.]. Hæc Caracciolus.

Anton. Caracc. de Sac. Neapolit. Eccles. monument. Cap. XI. sect. 3. pag. 136.

CAP.

C A P. III.

Vti ea SS. Martyrum, Primo Sæculo, Sanctorum, qui Martyres non fuerunt, corpora in Ecclesiis condita; imò, ad illorum sepulturam, Basilicæ à fundamentis constructæ. Corporis S. Cornelii Centurionis, Cæsareæ Episcopi translatio refertur, ac expenditur.

AT quamvis adeò conspicuo antiqui Fideles nō Martyres prosequerentur honore, cum inter persecutionum pressuras, sacra eorum corpora, in Cryptis condere coacti essent, ac supparem iisdem Martyribus honorem eis impertirentur; ampliori tamen eos exornarunt, & quidem Primo etiam Sæculo Ecclesiæ, ubi à persecutoribus id sibi inhiberi non timuerunt, vel eorum oculis, pia hæc religionis studia subducere potuerunt; cum, videlicet, uti eorumdem S.S. Martyrum, illorum reliquias in Basilicis, & Ecclesiis honorificentissime sepulturæ tradiderunt. Cujus quidem luculentissimam fidem faciunt, quæ de S. Euchario Trevirensi Episcopo, apud Bollandianos his verbis narrantur. [Tunc „ Discipuli, pro eius exitu sacras exequias celebraverunt, & „ *corpus ejus in Ecclesia, quæ est extra mœnia Civitatis*, ad me„ ridianam plagam sita, cum hymnis, & piis lacrymis sepultu„ ræ tradiderunt.]

AA. SS. Ianuarii To. 2. pagin. 921. Vit. cap. 4.

Sepulturæ mandatum S. Eucharii corpus, sub anno Christi 73. notant Bollandiani, sacroque eidem corpori, eodem cultu postea additas, Sanctorum Valerii, & Materni, qui ei in Episcopatu successerunt, reliquias, animadvertunt. Et reverà in vita S. Materni cap. 6. dicitur: [Tunc qui presentes erant „ Fideles, condignas exequias expleverunt, & ejus corpus non „ longè à reliquiis SS. Eucharii, & Materni honorabiliter po„ suerunt XVIII. Kal. Octobris]:

Ibid. ut supra.

Ijdem, ipsi Bollandiani, de præfato S. Euchario agentes: [Obiisse dicunt in notis Harigerus, & M. S.S. quædam V. Idus „ Decembris; at Brauverus: Obiit VI. Decembris, *quam diem* „ *anniversariam, ac sempiternam B. Eucharii memoriam, Trevi*„ *rensis Ecclesia consecratam habet*.]

Parum autem censendum est, uti Sanctorum Martyrum corpora, illa eorum Sanctorum, qui Martyres non fuissent, in Ecclesiis fuisse recondita, si cum eo conferatur, quod ad ipsa sepe-

ſepelienda, fideles Eccleſias ædificaverint, in quibus digno honore colerentur. Teſtantur id Acta S. Juliani primi Cenomanenſis Epiſcopi, qui Primo etiam Sæculo floruit, à Joanne Mabillonio edita, in quibus iſta habentur. [Sedit igitur (S. Julia-
„ nus) in prædicta ſede, Cenomanica in Urbe, annos 47., men-
„ ſes quatuor, dies decem, qui &, obiit in pace Quint. Kal.
„ Februarii, & *ſepultus ex juxta Fluvium Sartæ, in Eccleſia,*
„ *quam ſui Diſcipuli, ad ſepeliendum eum præparaverunt*. Si-
„ gna ergo &c.] Quæ quidem cum exſcripſerit Mabillonus, mirandum eſt certe, quo pacto deindè innuere potverit, S.S. Confeſſoribus cultum paulònte Sæculū IV. deferri cœptum. [Quo tem-
„ pore, (inquit), S. Antonius ſepulturam ſuam, ignoto loco pa-
„ rari juſſit, ne Pergamius, qui in iis locis ditiſſimus erat, Mar-
„ tyrium, ideſt ædiculam ſacram ſuper tumulum ſuum fabrica-
„ ret. Ex quo intelligimus eum ritum jam occepiſſe.] Et quidem diù ante Sæculum Quartum occepiſſe intelligere debuerat, ſi Sæculo Primo, ad condendas S. Juliani Reliquias, Eccleſiam, à Diſcipulis eius conſtructam, jam ſcripſerat. At de Pergamio, & cultu Magno Antonio præſtito, fuſius inferius.

Io. Mabilon. In Analect. To. 3. pag. 49.

In præfat. ad Tom ſeu Sæcul V. Act. SS. Ord S. Benedict. pag. 65. num. 97.

Hunc autem honorem, quem eodem Primo Sæculo, & Trophimo Arelatenſi, & Paulo Narbonenſi, & Martiali Lemovicenſi, ac aliis collatum fuiſſe, vetera earumdem Eccleſiarum monumenta, perpetua traditio, Scriptoreſque fide digni teſtantur: ijſdem temerè, ex more Pſeudo-- cenſores hodiernos, (quos nimirum pudet in regionibus, progenitoribuſque ſuis tàm citò Chriſtianos evaſiſſe), ſubducere tentaſse, haud me latet: ſed quæ nobis injuſte ſubtracta exempla dolemus, illud abundè, inter alia, ſupplet S. Cornelii Centurionis, deindè Cæſareæ, & Sceupſi Epiſcopi, quem, nimirum, ex eo quod Judici, quem ſtatim ad fidem convertit, oblatus fuerit, & ad momentum carcere truſus ſit, nemo certè jurè Martyrem pronunciare poterit. Huic ſiquidem, ad recondendum ſacrum ejus corpus, non modò Baſilica à fidelibus conſtructa fuit, ſed ipſemet è fundamentis illam erigi divinitùs imperavit. Poſtquam enim in Cœlum evolavit, ſacras ejus exuvias Diſcipuli illius, (demus ipſius Actorum verba, apud Bollandum): [apud
„ ipſum, ab eo everſum Jovis Templum, eum in novo loculo
„ depoſuerunt &c. Rubum autem maximum terra continuò edi-
„ dit, & in orbem texit loculum, adeò ut nullus ſciret de cœ-
„ tero, quod intus eſset loculus, præter eos ſolos, qui cum De-
„ metriò tunc inſervierunt, ad ſepulturam. Qui quidem ad Ru-
„ bum quotidiè venientes, ſacra canebant cantica, ſuffitibuſ-
„ que, & bono odore replebant, qui ſuper ipſum erat aerem,
„ at-

AA. SS. Bolland. ſub die 2. Febr. to. 1. pag. 293. Capit. 3. & ſeq. num. 12.

„ atque miracula quidem illic frequenter scatebant &c.] Et
Ibid. n. supra. Cap.4. immediatè subsequenti. [Non multò post antem, e vi-
„ ta decessit Demetrius, & multi ex eis, qui à Cornelio fuerant
„ Divino initiati baptismo, *ipsi verò partim è vivis decesserant,*
„ *partim autem profecti sunt in alias regiones*. Itaque cuidam
„ Silvano viro pio, & qui virtutem amplectabatur, & erat Epi-
„ scopus Troadis, cum venisset aliquando in Civitatem Scepseo-
„ rum, divinus in somnis apparens Cornelius: longo, dixit,
„ tempòre hic habito, & nullus me visitavit, præter eos solos,
„ qui à me fuerunt baptizati. Cum itaque inter diù hæc mente
„ consideraret Episcopus, & quid sibi vellet somnium non pos-
„ set conjicere, nocte sequenti ad eum rursus veniens Sanctus:
„ Ego sum, inquit, Cornelius Centurio: est autem mihi domus
„ prope Templum Jovis in Rubo; sed tu ædifica alterum Ora-
„ torium propè locnm Demetrii Servi Dei &c.] Et nonnullis
interjectis, *ibid. num.* 15. [Postquam autem Templum fuit citò
„ perfectum, hoc quoque Deo faciente miraculum, in locum
„ qui dicitur Trigoni venientes ædificatores ei significant per-
„ fectum esse ædificium, & jam tempus esse, ajunt, transferri
„ Capsam, priusquam ingressui superimponatur superliminare.
„ Continuò ergo Episcopus cum simul cum pio Eugenio sacrum
„ sumpsisset Evangelium, fusis prius precibus simul & Trisagium
„ cœpit canere, & cum eo omnes simul eumdem, Hymnum
„ concinnebant, & ægressi sunt supplicantes. Deinde Capsa,
„ (ò magna tua Dnmine, miracula!) sequuta est tamquam ani-
„ mata, nemine omninò eam movente, nec tangente. Et omnes
„ quidem primo, propter summam admirationem, nec mira-
„ culo quidem, quod cernebant, volebant credere. Deinde
„ quasi essent adducti in extasim, exclamaverunt, Sanctus, San-
„ ctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; qui per famulum tuum
„ Cornelium miracula tua, & virtutes nobis aperuisti. Hinc
„ factum est, ut qui remanserant ex Gentibus crederent.

Ibid. num. 17. „ Et rursus in Templum processit supplicatio, & Capsa se-
„ quebatur. Postquam autem ventnm in Templum, illi quidem
„ hinc, & illinc constiterunt, videntes quònam esset Capsa
„ processura, & ubinam statura. Illa autem per ipsos medios,
„ & lateralem portam veniens, quæ erat à dextera, stetit pro-
„ pè Aram; cum omnibus adhibitis machinis, ut ea transferre-
„ tur, ad Aram, illa manet immobilis usque in hodiernum diem;
„ miraculorum thesaurus non deficiens, ex quo percipitur ma-
„ gna spiritalis utilitas, & gratia.]

Sic Acta, in quibus duo ritè observanda sunt; & primum quidem, non diù post S. Cornelii priorem sepulturam, ejusdem tran-

translationem, in Basilicam ad hoc constructam, fuisse celebratam. Nam id patenter elicitur, ex Actis ipsis, ubi dicitur, quod non multò post Sancti tumulationem, defuncto Demetrio, & parte illorum, qui à Cornelio baptizati fuerant; parsque altera in alienas regione transmigrasset, Sanctus Episcopus, Silvano apparuit, & de ædificanda Ecclesia, in quam suum trasferretur corpus, admonuit: admonuit, inquam, paulò post primam tumulationem, postquam nonnulli à S. Cornelio baptizati, & ipsi defuncti fuissent; alii verò in vivis quidem agerent, sed aliò tamen migrassent. Quod quidem notandum fuit, & ut intelligeretur, sub Primi Sæculi finem translationem Sanctissimi Episcopi fuisse factam, & ut perspicuè error, lapsusque detegeretur eorum, qui illam, ad Quintum usque Sæculum rejecerunt.

Notatu dignum aliud in eo est, quod omnibus adhibitis machinis, Capsa in qua S. Cornelii Corpus conditum erat, è loco, quem juxta Aram elegerat, amoveri non potuerit, ut ad Aram ipsam transferretur. Ex quo fortè Pseudo-criticus aliquis, se elicere posse censebit, Sanctum Episcopum, primis illis Sæculis, venerationem, cultumque, ac sibi non debitum, detrectasse, quem fidelium pietas, religioque, collocatis in Ara, nempè, ejusdem Sacris Reliquiis, ei conferre voluisset. Et quidem diutissimè post priora sæcula, quem paulò ante memoravimus Joannes Mabilonus, ut usum, videlicet, praximque nonnullarum Ecclesiarum, qua Sacræ Sanctorum Reliquiæ super Altaria collocantur, perstringat; (Ecclesia Romana siquidem antiquitatis sacræ religiosissima custos, non nisi sub Altari Sanctorum, sive Confessorum, sive Martyrum, aliorumve corpora, condere consuevit:) ex elogio S. Odonis Abbatis Cluniacensis, id adstruere connixus est, de eodem S. Odone ista scribens. [Hæc „ Vir piissimus, qui duo facta refert insignia, quorum primum „ est, de Reliquiis S. Walburgis, seu Gualburgis, miraculis ce„ lebris: cujus Reliquiæ, cum in Altari positæ fuissent, ces„ savere miracula. Stupentibus peregrinis, cuidam ex infir„ mis Virgo apparens: idcircò, inquit, non sanamini, quia „ Reliquiæ meæ sunt super Altare Domini, ubi Majestas Divi„ ni Mysterii debet solummodò celebrari. Quod cum ille custo„ dibus referret, tulerunt capsam, & protinus miracula fieri „ cœperunt:] Sic ille.


Act. SS. Ordin. S. Bened. To. & Sæcul. V. pag. 147. num. 49.

Verùm idem ipse, qui ista refert, Tomo, & Sæculo eodem, incautè Historiam alteram profert, qua quod priori adstruere studuit, funditùs evertitur. In Historia siquidem relationis S. Walarici Abbatis, in Monasterium Leuconanense, sic scribit. [Orta est, inter fratres dubia quæstio, de corpore præfati

Act. SS. Ordin. S. Bened. To. & Sæcul. eod. pag. pag. 557. num. 3.

,, Confessoris (Walarici), utrum ipse esset, an ossa sæcularis Viri ,, ibi essent delata. Tunc consilio Abbatis, & Monachorum de- ,, latum est in Capitulum, in quo jacebat B. Walaricus scrinium. ,, Expleta, itaque lectione regulæ, & finito Sermone à Mona- ,, sterii Patre, ab eo; *Benedicite*, dicitur. Et à fratribus: *Do- ,, mine*, respondetur. Tunc Abbas subjungit. Dicitur, fratres ,, à vobis hic quiescere corpus S. Walarici, quod, utrum verum ,, sit, sciendum est à nobis. Aperiatur Locellus, & si ibi sit cor- ,, pus videatur. Laudatur à fratribus, quod ab Abbate dicitur. ,, Cumque hoc vellent opere complere, & Locellum aperire, su- ,, bitò est ab eorum oculis ablatum, *Angelicisque manibus eve- ,, ctus est, & super Altare positus*. Quo facto, stupore fratres at- ,, toniti, à Capitulo egressi, *viderunt super Altare Locellum*, ,, in quo jacebat corpus Sancti Walarici: & lacrymis profusis, ,, cœperunt cantare: *Te Deum laudamus*, &c.]

Hoc igitur commotus exemplo, quem diximus, Mabillonus, ex ijs, quæ in Reliquiis S. Walburgis acciderant, minimè elicere debuisset, eo, de quo agit Sæculo, sacras Reliquias super Aras collocari non consuevisse, & uti indebitum, hunc eis honorem fuisse collatum: Sed potius aliud fuisse, quod nos latet, ob quod honorem ipsum Sacris suis Reliquiis tribui, Sanctissima ipsa Virgo noluerit. Nam convenientissimè tributum, & quidem Divinitùs, & quidem Angelico ministerio; evidentissimè probat S. Walarici Corporis aliud exemplum. Et ab utroque hoc exemplo edocti intelligere debemus, nil pænitùs detractum putari posse, absolutissimo ei cultui, quo Sancti non Martyres exornati primis Ecclesiæ Sæculis fuerunt, ex eo, quod Sacras suas exuvias S. Cornelius, non supra Altare, sed juxta dumtaxat Altare collocari voluerit. Quod, nimirum, secus ac cum aliorum Sanctorum Reliquiis, cum illis Sancti huius Episcopi agi, Deus Omnipotens dispofuerit. Ad id, unde digressi sumus, redeamus.



CAP. IV.

C A P. I V.

Non modo ſepulcra, ſed cœteræ quoque Memoriæ Sanctorum, ſive Mulierum, ſive Virorum, qui Martyres non fuerunt, uti ea Martyrum, Primo Sæculo à fidelibus cultæ. Omnipotens Deus, eorumdem Sanctorum Reliquias, miraculis illuſtrare conſuevit.

SIcut autem non modo ſepulcra SS. Martyrum, priſcis Fidelibus venerationi erant; ſed loca inſuper, in quibus paſſi eſſent, præcipuo honore colere in more habuerunt; ita SS. Confeſſorum, non modo ſacras reliquias venerati ſunt, ſed loca etiam, in quibus verſati fuiſſent, aut præclarum aliquid eis accidiſſet, eximio cultu ſunt proſecuti. Quod quidem in eodem S. Cornelio Centurione, perſpicuè cognoſcitur. Quis enim ambigere poteſt, peculiari quadam ratione, Domum, quam Cornelius idem inhabitaverat, Chriſtianos, ab initio religiosè non obſervaſſe, ſi poſt everſam etiam totam à Romanis Judæam, nihilominus Domus ipſius memoriam, non modo apud illos nunquam excidiſſe, ſed diligentiſſimè ſervatam, ipſam in Eccleſiam converſam fuiſſe habemus? Teſtatur id diſſertè Hieronymus, in Vita Paulæ, dum ſcribit, de ipſa loquens. [Mirata „ ruinas Dor, Urbis quondam potentiſſimæ, & verſa vice Stratonis Turrim, ab Herode Rege Judææ in honorem Cæſaris Auguſti, Cæſaream nuncupatam, *in qua Cornelii Domum, Chriſti vidit Eccleſiam*.] Vidit, inquam, venerataque eſt, ea omninò ratione, qua S. Flaviæ Domitillæ primùm, deindè Sancti Prophetæ Eliæ memorias piiſsimè viſitaverat. [Delata (inquit „ Hieronymus idem de Paula eadem Hieroſolymam peregrinante) ad inſulam Pontiam, quam clariſſimæ quondam fœminarum, ſub Domitiano Principe, pro confeſſione nominis „ Chriſtiani, Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium: videnſque „ cellulas, in quibus illa longum martyrium duxit, ſumptis fidei alis, Hieroſolymam, & Sancta loca videre cupiebat.] De S. autem Eliæ memoria. [In Sareptæ litore, ſcribit, Eliæ eſt „ ingreſſa Turriculam, in qua *adorato Domine Salvatore*, per „ arenas Tyri pervenit &c.] Certè martyrium, Paulæ, ac Hieronymi ævo, Elias, futurus licet ſub finem mundi Martyr inclytus, non conſumaverat; & tamen quam incoluerat Turricula,

Vit. Cap. 6.

ut ex verbis Hieronymi elici posse videtur, in Ecclesiam Deo dicatam versa erat, *in qua Salvatorem Paula adoravit*. Inter veteris Legis Confessores (ut sic loquamur) Elias ergo tunc recensendus erat, cum iis collatus Prophetis, qui fuso sanguine, jam occubuissent. Tanta diligentia servata semper ejusdem Memoria, Divinoque cultui dicata, ostendit igitur (ut videre est etiam ex Cornelii, de qua loquimur Domo) Sanctos qui Martires non extiterant, venerationem obtinuisse, nec solis Martyribus præstitum cultum; quem abundè magis etiam probant Prophetarum, Martyrum, & non Martyrum, indistinctè, ut vidimus, venerata Sepulcra. Si prisci Fideles, ergo, taliter sese gessere; cum Veteris Legis Sanctis, qui quodamodo minus ad se pertinuerunt: erga eos Novæ (ut supra adnotavimus) minus observantiores extitisse, quis credet?

Et quidem, præter Eliæ Turriculam, & Cornelii Domum, hujusmodi Sanctorum non Martyrum Memorias alias Paulam veneratam esse, asserit Hieronymus idem, cum statim addit. [*Et Philippi vidit*, (videlicet in eadem Cæsareæ Civitate) *adiculas*, *& cubicula quatuor Virginum Prophetarum*.] Quod quidem egregiè, ut consuevit, adnotavit Baronius, cum scripsit: [Recens adhuc erat Cæsareæ Maritimæ in Palæstina, temporibus S. Hieronymi, Memoria Philippi Diaconi, & filiarum ejus. „Nam ædicula Philippi, & filiarum cellulæ adhuc integræ permanebant: quas omnes S. Paula profectura Hyerosolimam invisit, ut ipse S. Hieronymus scribit, Epistola 27. ad Eustochium.]

Ibid. ut supra.

Baron. in Not. ad Martirolog. ad diem 6. Iunii.

Et certè, qua ratione, vel loca hujusmodi, vel multò magis Sanctorum, vel Sanctarum sepulcra, licet non Martyrum, non magni, ac in honore habere Fideles non poterant, si ea Omnipotens Deus, præclaris prodigiis, miraculisque exornabat? Rei hujus testem afferre sufficiat Sanctum Bucolum, primum Smyrnensium Episcopum, & S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ discipulum, quem in indice Chronologico, sub anno 99. obiisse Bollandiani putant. De illo iidem scribunt: [Celebrem „fuisse miraculis, sive factis in vita, sive ad ejus tumulum divinitùs patratis, ostendit Nicephorus Calistus *lib.* 3. *Cap.* 34. „ita scribens. [Apostolorum sectator Polycarpus, martyrio „est defunctus, qui post Bucolum (Thaumaturgum), sive mirandorum operum effectorem, Smyrneorum Ecclesiæ præfuit.] Inter cœtera verò miracula, ad eiusdem tumulum „patrata, singulare illud, ab omnibus recensetur, quod Plantam (Myrtum, Acta S. Policarpi dicunt) Deus ante illud „oriri fecerit, quæ plurimis morbis curationem præberet: de qua „Menæa. [Ut Palma germinans in Aula Dei, debito justis som-

Act. SS. mens. Februar. sub die 6. Tom. 1. pag. 766. in com. pravio num. 4.

„ somno consecutus es, ò Bucole Dei præco. Nam ante Divi-
„ num tuum monumentum, plantam producis, miraculum vi-
„ dentibus. Terra quidem beatum tuum corpus obtegitur, me-
„ delas, & gratias manifestè scaturiens, ò gloriose Bucole, sed
„ animam tuam simul cum electis, verè Divinis refulgentem
„ splendoribus, Cœlum obtinet.]

C A P. V.

Ecclesiasticis tabulis diligentissimè consignata, in Orientali, & Occidentali Ecclesia, Sanctorum, qui Martyres non fuerunt, nomina; priscorum Fidelium erga illos, venerationem ostendit.

ET quidem, sicut SS. Sanctarumque tumulos, ac Memorias assertas, decoratasque prodigiis, ac miraculis Deus Omnipotens voluit; ita prodigiis, miraculisque iisdem, eos venerari, ac colere Fideles docuit, ad eosque confugere, quorum precibus, & ope Divinam Misericordiam consequi possent. Quod quidem illos cumulatissimè præstitisse, ritè ambigere nemo potest, satisque ostendunt, præter ea, quæ diximus, culta sepulcra, in quibus reconditi, religioseque venerata loca, in quibus versati fuissent: illud etiam, quod eorum nomina Ecclesiasticis tabulis diligentissimè fuerint consignata. Ad quid enim, si solis SS. Martyribus honores ii tribuebantur, inter innumeros, (ut ita dicamus), qui Christi fidem, & hoc quidem primo Sæculo, ab ipsis Apostolis evulgatam, susceperunt; traditum monumentis paucorum tantum nomen habemus, qui Martyres non extiterunt; vel, si inter alios virtutibus, ac miraculis non enituissent, vel si, præ aliis, venerationem, ac cultum Sanctis ipsis Martyribus supparem, eis exhibere Ecclesia noluisset?

Hujusmodi certè fuerunt in Romana Ecclesia, præter eam, quam memoravimus Petronillam, Plautilla S. Domitillæ Virginis, & Martyris mater, ac demum Lucina senior Apostolorum discipula; de qua, utpote sanctitate insigni, juxta Martyrum corpora, (ut supra adnotavimus) sepulturam tributam fuisse, Romanum Martyrologium dissertè asserit. Quod quidem de Timotheo Presbytero, Pastore, & Pudente Senatore Romano, & aliis, dicatur oportet.

In Martyrolog. Roman. sub die 31. Maii.

Ibid. sub die 20. Maii.

Ibid. sub die 19. Maii.

Hoc idem in Orientali Ecclesia observare est, quæ perpaucos licet, aliquos tamen Ecclesiasticis Tabulis descripsit. Hujusmodi extiterunt, Agabus Propheta, Manhaen, Herodis Tetrarchæ collactaneus, Doctor, & item, sub gratia novi Testa-

 menti

Ibid. sub die 13. Februar.

Sub die 24. ejusd.

menti Propheta: ac demùm Joanna Uxor Cuzæ Procuratoris Herodis. Horum siquidem nomen, & memoriam, adeò accuratè litteris consignatam, alia mente, alioque studio ab eo, quo SS. Martyrum nomina, & gesta iisdem Ecclesiasticis tabulis mandabantur, quis ritè non credet?

C A P. V I.

Sæculo Secundo exhibitus multipliciter Sanctis, sive Episcopis, sive aliis, qui Martyres non fuerunt, cultus.

RAvennatis Ecclesiæ primos Episcopus, qui proximè Sanctissimo Martyri Appollinari successerunt, ad munus illud, per Columbæ signum divinitus evectos, & sanctitate præclarissimos, condigno honore semper prosequutos fuisse; nemo, (quod sciam), usque modo negavit. Eorum autem neminem martyrio fuisse decoratum, disertè his verbis S. Petrus Chrysologus testatur. [Beatus Appollinaris, primo Sacerdotio, solus hanc Ecclesiam Ravennatem, vernaculo, atque inclyto martyrii honore decoravit.] [Sicut autem, (scribit S. Petrus Damiani), B. Petrus Princeps Apostolici Senatus, tres, inter cœteros, eminentiores cognoscitur habuisse Discipulos, qui sibi postmodum, in Pontificatus arce, per ordinem successerunt; primò, videlicet, Linus, deinde Cletus, tertius Clemens: ita nihilominus, & Appollinaris, quatuor egregios Discipulos habuit post felicem martyrii sui gloriam, sibimet in Ecclesiastico regimine succedentes; *Adheritum*, scilicet *Eleuchadium*, subinde *Marcianum*, postremò *Calocerum*.]

D. Petr. Chrysolog. Serm. 128. pag. 321.

S. Petr. Damian. Oper. To. 2. pag. 13. Serm. 4.

Ex his Adheritus, ad Primum Christi Sæculum pertinet, diemque extremum, circa annum 98. obiisse putatur. Eleuchadius, sub initium Secundi Sæculi mortuum esse, anno 112. Bollandiani scribunt. [Cujus quidem gesta, (inquit præfatus S. Petrus Damiani), non reperiuntur apicibus tradita; sed non sine causa vetustas, *vel Basilicam in ejus honorem construxit, vel ejus obitum, annuæ solemnitatis honoribus dedicavit*.] Non modo verò eum Martyrem non fuisse confirmat, sed adeò, è contra, ad Christum conversos S. Eleuchadii ævo, illius Provinciæ populos animadvertit: [Ut omnium, inquit, Ravennati Metropoli adjacentium Diœcesum Civitates, & Oppida, nullos pœnè recondere Martyres agnoscamus. Unde

Pannin apud Saron. in Not. ad Martyrolog. sub die 27. Septem.

Act. SS. sub die 4 Februar. To. 2. pag. 747.

Ibid. ut supra.

B. Ap-

„ B. Appollinaris quanta gloria, quanta sit excellentia mirari „ non possumus: cujus martyrium, cum per viginti, & novem „ annorum spatium, per innumerabilia fuerit tormenta pro- „ ductum; tantum solus elaboravit, quod alter quispiam, ubi „ in totis ferè illis patribus, pro testimonio fidei potuisset oc- „ cumbere, non invenit. Si quid autem fortè superfuit, Disci- „ pulorum ejus successio veneranda supplevit; inter quos, ni- „ mirum, B. Eleuchadius, velut aureum sydus enituit. &c.]

Hinc erroris ritè redarguitur Hieronymus Rubeus, dum Marcianum, qui circa annum 120. Eleuchadio successit, martyrio coronatum fuisse, sub Hadriano Imperatore, scripsit: Nam, nec ipse, neque qui ei subrogatus est Sæculo eodem, circa annum 140., sub Antonino Pio Calocerus, martyrium subiit; sed, & ipse, & quos commemoravimus alii, martyrii gloriam, nullatenus adepti sunt. Et nihilominus, dies obitus eorum anniversaria solemnitate consignatus fuit; & eorum Reliquiæ religiosè cultæ; & demùm eorum memoriæ omne id collatum, quod Sanctis ipsis Martyribus Christiana pietas dicare consuevit.

Hieronym. Rub. Histor. Ravenn. lib.1. 2. Edit.

Act. SS. Bolland. sub die 11. Febr. To.2. ubi de Reliquiis S. Caloceri pag. 508.

Vide Baron. & Summ. sub hac die.

Omne id quoque præstitum Sancto Prosdocimo, Patavino Episcopo, & S. Petri Discipulo. De ipso siquidem ista scripto tradidit S. Maximus, ipsius Discipulus, ac in Episcopatu successor, in illius Actis, quæ in eiusdem solemnitate ipsummet recitasse cognoscitur. [Maturus ævo (Prosdocimus), & cursu „ finito, Sept. Id. Novembr. ad Christum migravit, qui ab uni- „ verso Populo Civitatis susceptus est, & in Oratorio S. Mariæ „ sepultus. Vixit autem B Prosdocimus in Episcopatu suo, an- „ nis nonaginta tribus, mense uno, & diebus quindecim; in cu- „ jus transitu exultat Cœlum, continens ejus spiritum, exultat „ tellus, quæ tantæ dignitatis erat suscipere ejus sacratissimum „ corpus; lætatur autem, & *tota Mater Patavii Ecclesia, cum* „ *electis filiis suis, quæ fovet prætiosa Beatissimi Cofessoris ossa*; *cu-* „ *jus merito, & obtentu assiduo istic nititur, atque consistit. Et nos,* „ *Fratres charissimi, plus solito lætabundi, tantæ Solemnitatis diem* „ *celebrantes, gaudeamus, & exultemus in Domino,* qui tanto, „ talique nos glorificavit Patrono. Ipse enim pro nobis ad Do- „ minum nostrum exorare dignetur, ut *qui devotis laudibus, ex* „ *animo, sua hodiè celebramus Festa, æternum cum illo in Cælis con-* „ *celebrare mereamur Solemnia*. Post obitum verò ejus, Ego Ma- „ ximus successor ipsius, ab omni Clero, & Populo electus, „ & à Romano Episcopo consecratus, ista omnia, quæ vidi, & „ audivi de eo scripsi &c.] En, ex S. Maximo, qui floruit Secundo Sæculo; Sæculo eodem S. Prosdocimi, qui Martyr non fuit

S. Maxim. apud Nombr's. Tom.2. Baron. sub die 7. Novemb. Urbel in Episcop. Patavin.

fuit, solemnitas, Natalitiaque dies magnificè celebrata.

Eamdem ferè, eodem Secundo Sæculo Ecclesia Ticinensis, præbuit venerationem, Sancto suo Episcopo Juventio, de quo hæc tradit apud Bollandianos Paulus Diaconus: [*Sanctos „ verò ejus exuvias, ad honorem, & reverentiam tanto Sacerdoti „ competentem, in eadem Basilica, (SS. MM.), intra crepidinem, ad Altaris viciniam, condientes, posuerunt, sub die 6. „ Iduum Februariarum; ubi, & nunc usque sacra ossa ejus quiescentia, virtutibus florent, atque miraculis præstant &c.*

Act. SS. Bolland. sub die 8. Febr. Tom. 1. pag. 155. § 5. num. 26.

Quamvis luce clarius pateat, locum in quo S. Juventii corpus primò tumulatum fuit, non nisi tribui ei potuisse, cui cultus, veneratioque deferebatur; si tamen posterioribus dumtaxat sæculis, Sanctis, qui Martyres non extitissent, venerationem exhiberi cœpisse putandum esset, ac S. Juventio idem, uti aliis contigisset; cur, quæso, usque ad Pauli Diaconi tempora, venerandum ipsum corpus, eodem loco, in quo primùm tumulatum fuerat, ac in quo venerari non debuerat, jacere, devotio fidelium pati potuisset? At hæc obiter.

Non modo verò in Martyrum Basilica, ac juxta Aram, ipso Sæculo S. Leucii Episcopi Brundusini, qui sub Commodo floruit, corpus, sepulcrum obtinuit; sed insuper in Basilica, Deo ipso jubente, sub ejus nomine Deo dicata, gloriosè tumulatum fuit. Quod quidem, non unius dumtaxat, sed plurium Ecclesiarum, apud Bollandum monumenta confirmant: Ex quibus ista: [Antiochus quidem, (à S. Leucio ad fidem conversus), secundum visionem B. Leucii, fecit seppellire corpus ejus venerabile, eo loco, ubi de mari descenderat, cum de Alexandria advenisset. *Idemque venerabilis memoriæ Antiochus, jussit construere Ecclesiam, in nomine ejus, cum omni diligentia, & dignitate, quæ dedicata est ab Episcopo, Tertio Idus „ Maii. Dormitionis verò ejus Festiva Solemnitas celebratur Tertio „ Idus Januarii. &c.*]

Act. Sanct. apud Bolland. sub die 1. Januar. Michael Monach. Sanctuar. Capuan. Monumen. Eccl. Brundusin. Ex Breviar. Eccles. Capuana & M.S.S. Eccles. Beneven. & Tranens.

Parum autem, Sæculo eodem, visum est Spoletanis, ac Interamnensibus, Deo in honorem S. Anthimi Episcopi unam Basilicam dicasse; ideòque, tàm impensè ejusdem cultui, venerationique incubuerunt, ut plures eo tempore Basilicas excitaverint, quas adhuc superesse, cum ejus Acta exarata sunt, qui illa monumentis mandavit, his verbis, apud Bollandum, tradit. [Hic tandem præclarus Antistes, Quinto Idus Maii, „ feliciter in Domino obdormivit, circa annum Domini centesimum septuagesimum sextum. *Cui Fideles, tantorum meritorum memores, tùm Spoleti, tùm Interamnæ plures Ecclesias, quæ „ ad hæc usque tempora supersunt, sub S. Anthimi nomine erexerant.*

Act. SS. sub die 21. Febr. Tom. 3. pag. 337. num. 3. ex Act. Eccl. Spolet.

„ *runt*.] Ea verba [*Quæ ad hæc usque tempora supersunt*] profectò aliud non indicare videntur, nisi Basilicas, sub initium, in honorem S. Anthimi erectas, adhuc perseverasse, ut innuimus.

Putari verò non potest Secundo hoc Sæculo, solis dumtaxat Sanctis Episcopis, qui Martyres non extitissent, cultum, venerationemque fuisse delatam; quod id prohibeat memoria, quæ in Ecclesiasticis monumentis, Græcis, atque Latinis, de S. Pudente Senatore Romano recolitur; sive is ad Cœlum migraverit, ut Paperbrochius contendit hoc, de quo loquimur, Sæculo, sive præcedenti, ut veteres nostræ tabulæ verosimilius testantur. Placuit hic inserere, quæ de illo, ac Sanctis filiabus ejus, Pudentiana, ac Praxede habentur in earum Actis, à Sancto Pastore Presbytero, (inquit præfatus Paperbrochius) oculato teste conscriptis. [Eodem tempore Virgo Domini Praxe„ des, accepta potestate, rogavit B. Pium Episcopum, ut Ther„ mas Novati, quæ jam tunc in Urbe non erant, Ecclesiam „ consecraret, quia ædificium magnum in iisdem, & spatio„ sum esse videbatur. Quod, & placuit S. Pio Episcopo, *Ther„ masque Novati dedicavit Ecclesiam, sub nomine B. Virginis Po„ tentianæ*.] Cum dedicationem hanc celebravit S. Pius Papa, jam è vivis excesserat S. Pudentiana: quod quidem necessariò animaduertendum est, ne aliquis fortè, solo nominis titulo, quo loca hujusmodi Deo dicata, persæpè nuncupabantur, ut Gentiles laterent, & nomine, præcipuorum quorumdam Virorum, ac mulierum, quorum ædibus, rebusque, præ aliis, honor, ac reverentia exhibebatur, idcircò honestabantur, (ut fusè in Dissertatione nostra Historica de Sacris Basilicis SS. MM. Macellini, & Petri, alibique ostendimus,) sub nomine S. Pudentianæ Ecclesiam S. Pium dedicasse arbitrètur. Nam præterquam quod, cum locus is Pastoris nomine antea titulatus esset, nova titulatione non indigebat, cum Pudentiana hæc, jam, ut innuimus, ex hac vita emigrasset; ejusdem nominis titulatio, eo sensu accepta, quo hujusmodi titulationes fieri consueverant, nil profuisset, supervacaneaque extitisset, eumque finem habere non poterat, qui cœteris erat, cum titulationes huiusmodi instituebant; quibus, nimirum (inquam), eò tantum prospiciebatur, ut nomine, authoritate, ac potentia sua, loca, & domus protegerent, qui nomen titulationi dabant, utpote sub sua clientela, ac dominio constitutis. Quem quidem verum, ac sincerum verborum S. Pastoris sensum, & quidem aliud agens, egregiè Anastasius Bibliotecharius in Pio, apud præfatum Paperbrochium, loco citat. explicavit his verbis: [Rogatu Bea-

tæ

Vid. Baron. in Not. ad Martyrolog. sub die 19. Maii.

Act. Sanct. Mai die 19. tom 4. pagin. 300. num. 8.

Ibid. ut sup. pag. 298. num. 6.

„ tæ Praxedis dedicavit Eccleſiam, Thermas, Novati, *in hono-*
„ *rem S. Potentianæ Sororis*.]

Et hoc quidem ſenſu accipienda eſſe, quæ S. Paſtor idem, de altera dedicatione Eccleſiæ, in honorem S. Praxedis immediatè ſubjungit, nullatenus ambigendum videtur. Addit enim, poſt ea, quæ protulimus verba. [*Dedicavit autem* (S. Pius), *&*
„ *aliam, ſub nomine S. Virginis Praxedis, infra Urbem Romam, in vico*
„ *qui appellatur Lateranus*: ubi conſtituit, & titulum Romanum:
„ in quo loco conſecravit Baptiſterium, ſub die 4. Idus Maii.]
Quas enim dedicationes Eccleſiarum iſtarum, à S. Pio factas, referre S. Paſtor inſtituit; unam ab altera ſejungere noluit, ac ambarum narrationem ſimul copulavit, licet tempus, quo id peractum fuit, ac dedicatio unius, ab ea alterius valdè diſſita extiterit. Nec obſtat, quod ſtatim addat: [Poſt duos annos
„ facta perſecutio magna Chriſtianorum.] Nam hic, ad narrationem geſtorum S. Praxedis, à qua, ut dedicationes Eccleſiarum, à S. Pio celebratas referret, digreſſus fuerat, rurſus revertitur. &c.

Ibid. ut ſupra.

Et revevera, ſicut quam Paſtor dixit Eccleſiam, ſub nomine S. Pudentianæ dedicatam, non S. Pudentianæ titulus, ſed (ut monuimus) Paſtoris appellata eſt; ita titulus Romanus, (ab aliquo fortè, qui hoc proprio nomine cenſebatur,) S. Praxedis Eccleſia dicta videtur; quæ idcircò putari non poteſt hoc nomine inſignita, dum ipſa viveret ſed, uti de altera S. Pudentianæ diximus, in ejus honorem à S. Pio dicata, poſt mortem cenſeri debet: ſuperſtes ſiquidem Praxedi plus anno S. Pontifex fuit. Et, quemadmodum alibi advertimus, ſicut priſci fideles, non modo ſanctorum corpora, ac Sepulcra venerati ſunt, ſed inſuper, (uti alias SS. Martyrum Memorias), loca in quibus habitaſſent, vel verſati eſſent, diligentiſſimè coluerunt; ſic illæ, de quibus loquimur Eccleſiæ, in honorem Sanctarum harum Virginum, à S. Pio dicatæ, putari debent: quod, videlicet, Domus, locaque extiterint, quæ Praxedes, & Pudentiana incoluerant, ac in quibus fortè extremum diem clauſerant.

Ex Martyrolog. Roman. ſub die 20. Julii ubi de S. Kerato.

De eadem S. Praxedæ præfata Acta deinde dicunt. [Deindè Virgo Domini Praxedes, nimia corporis afflictione conſtri-
„ cta, cum intimis ſuſpiriis ad Dominum ingemuit, &, ut ex
„ hoc mundo citius auferri mereretur, oravit. Cujus oratio-
„ nes, & lacrymæ pervenerunt ad Cœlum: nam poſt dies qua-
„ draginta quatuor paſſionis prædictorum Sanctorum, die, vi-
„ delicet duodecima Kal. Auguſti, migravit ad Dominum.
„ Cujus corpus ego Paſtor Presbyter ſepelivi, juxta Patrem

Pu-

„ Pudentem via Salaria, in Cœmeterio Priscillæ : *Ubi florent* „ *orationes eorum* [usque hodie], præstante Domino nostro Jesu „ Christo, cui est honor, & imperium per æterna Sæcula „ sæculorum. Amen.]

Quid significare voluerit S. Pastor verbis illis: [ubi florent „ orationes eorum]. Sanctorum Martyrum Acta, uti, e. g. S. Marcelli Papæ, in quibus loquendi ea formula legitur, manifestè declarant. [Sanctorum verò corpora, (dicunt,) hoc est „ Cyriaci, Largi, Smaragdi, Crescentianæ, Mamiç, & Ju- „ lianæ, sepulta sunt via Ostiensi, milliario ab Urbe Roma, plus „ minus octavo : *ubi Orationes eorum florent, nunc, & semper &c.* Hac enim phrasi id significare eorumdem Actorum Conscriptor voluisse videtur, quod ad Sacra Pudentis, & Praxedis sepulcra fideles confugientes, eaque debita, condignaque veneratione, cultuque prosequentes; illorummet apud Deum interventione, quæ ritè postulassent, obtinere consueverunt. Suspicatus quidem est Paperbrochius. Illud: [usque hodie;] & fortè subsequentia verba, S. Pastoris non esse, sed superaddita, quod ea longiorem ab eo, quo Pastor scripsit, temporis intercapedinem denotent. At quidquid de hoc sit, ex precedentibus satis constat, sepulcra SS. Pudentis, ac Praxedis, frequenti devotione à Fidelibus fuisse exculta; eo pari modo, quo in sacris Cœmeteriis, eodem tempore, & subsequenti, ea SS. Martyrum ibidem quiescentium, venerata fuisse, ex D. Hieronymo, & Prudentio apertissimè liquet.

C A P. V I I.

Sanctorum non Martyrum Tertio Sæculo veneratio ostenditur.

TErtio Sæculo, Sanctis, qui Martyres non extitissent, ut in prioribus, fuit à fidelibus cultus exhibitus. Quos ipsimet Pseudo = Censores hodierni, abjecta communi, semperque recepta, & singularum Ecclesiarum, monumentis innixa, traditione, è Primo Sæculo Sanctos deturbarunt, & in Sæculum id rejecerunt, (ne de re, quæ ad rem præsentem non pertinet frustra dissertationem instituamus); dato eis, ut dicitur, & non concesso, quod statuere contendunt, in medium proferre sat nobis visum est, ut errorem alterum, eo ipso errore refellamus, quem ipsimet struentes, refellere idcircò, retorta in sagittarium sagitta, non possunt.

Fuerunt igitur hoc ipso Sæculo, à Romanis Pontificibus,

(ut ipfimet excogitant), ut variis Ecclefiis præeffent, miffi Epifcopi, quos inter :[Gratianus, (inquit S. Gregorius Turonenfis iis recenfitis,qui martyrium obtinuerant), Trophimus, „ Stremoniufque, & Paulus, atque Martialis, in fumma fancti- „ tate viventes; poft acquifitos Ecclefiæ populos, ac fidem Chri- „ fti, per omnia dilatatam, felici confeffione, migrarunt. Et fic, „ tàm ifti per martyrium, quàm hi per confeffionem relinquen- „ tes terras,in cœleftibus paritèr funt conjuncti.]

S. Gregor. Turonenj H ft. Franc. cap. 1. lib. 30.

At, uti in Cœlefti Regno, (ut ipfe dicit) funt pariter, conftituti : fic in militanti Ecclefia æqualem Martyribus etiam venerationem, cultumque adeptos effe, ipfemet narrat; vel, ex his,quæ narrat,facilè differtus quifque elicere valet. Et de primo quidem, Gratiano, fcilicet Turonenfi Epifcopo, (quem hoc Sæculo à S. Fabiano Papa, ad eam regendam Ecclefiam nos quoque miffum fuiffe credimus), quæ idem Gregorius narrat, manifeftè indicant, à pia fidelium religione, meritis condignum tumulum ei fuiffe erectum, illumque eos fumma veneratione vifitare confueviffe : nam, qui poft, fequenti, tantum fæculo floruit, nempè S. Martinum orationis caufa, ipfum adiiffe, Gregorius idem his verbis refert.

S. Gregor. Turon. d. Glor. Confef. cap. 4.

[Gratianum Epifcopum à Romanis Epifcopis, ad Urbem „ Turonicam tranfmiffum, primumque Turonicis Pontificem „ datum, fama ferente cognovimus. *Ad cujus tumulum B. Mar-* „ *tinus, cum ad orationem veniffet*, poft effufas preces, dicto „ etiam Capitello &c.]

Haud impari veneratione tumulatum quoque fuiffe S. Martialem Lemovicenfem Epifcopum, in dubium vocari non poffe cognofcitur. Quod autem idem Gregorius addit miraculum, de Sarcophagis, in quibus in eadem cum Sancto Epifcopo crypta, facra corpora Sanctorum Presbyterorum Alpiniani, (& Auftricliniani, & ipfi cum eo Roma miffi), condita erant; omnimodum cultum eis, à fidelibus delatum, manifeftè declarat : non diù enim ab ipforum tumulatione, illud accidiffe, facilè quifque intelligere poteft; quod narratur à Gregorio eodem his verbis.

Ibid. ut fupra cap. 27.

[Igitur S. Martialis Epifcopus, à Romanis miffus Epifco- „ pis, in Urbe Lemovicenfi prædicare exorfus eft. Everfifque „ Simulacrorum ritibus, repleta jam credulitate Dei Urbe, mi- „ gravit à fæculo. Erant tunc temporis cum eo, duo Presby- „ teri, quos fecum ab Oriente adduxit in Galliam : verùm ubi „ completi funt dies eorum, ut & ipfi vocarentur de hoc fæcu- „ lo, conjunctis Sarcophagis, in eadem crypta, in qua Sanctus „ Epifcopus, funt fepulti : & unus quidem parieti proximus,

alter

„ alter vero huic contiguus erat : super terram autem, utrique „ ſtabant. *Sed non poterat alteri, propter illud, quod primus erat,* „ *honor impendi : hoc eſt, non niſi palla expendi poterat, non lumen* „ *accendi*. Quod cum incolæ loci moleſte ferrent, quodam ma„ ne accedentes ad cryptam, invenerunt ſepulcra diverſis pa„ rietibus eſse locata ; & ſic acceſsus liber ad utrumque ſepul„ crum patuit : & qualiter Beatus Antiſtes, ut cultor Dei ve„ neraretur, enituit.] Hæc Gregorius, qui ſtatim addit.

[Puella quædam, cui neſcio quo exiſtente peccato, ma„ nus una diriguit, ac digiti palmæ defixa erant, ad ejus ſepul„ crum advenit, confiſa de virtute Confeſsoris, quod poſset „ ejus interceſſio, manum aridam abſolvere, cujus prædica„ tio populum, vanis ſuperſtitionum ritibus irretitum abſol„ vit. Celebratis igitur vigiliis, *in ipſa nocte feſtivitatis*, dum „ attentè juxta ſepulcrum orat ; manum ſuam directis digitis, „ populo teſte ſanatam, miratur attonita.] *Ibid. cap. 28.*

At, ſicut prodigia hæc, & beneficia Lemovicenſes, Sancti Martialis, ſociorumque meritis obtinere meruerunt, quod ſtatim ab eorum obitu, eos condigno honore colere, venerarique ſtuduerint ; ita, Gregorio eodem teſte, didicimus, Sanctum Stremonium, primum Arvernenſis Civitatis Epiſcopum, ex eo quod apud Icidiorenſem Vicum, inter, nimirum, agreſtes incolas, ſepultus fuiſset ; poſt diù toleratam eorumdem indevotam ruſticitatem, tandem cœleſti viſione commonuiſse ſucceſsorem in eadem Eccleſia Epiſcopum, in minoribus tunc conſtitutum, ut ſacras, videlicet ſuas reliquias, debita reverentia coli curaret : quibus, etſi uſque adhuc obſequium homines præſtare diſtulerant, non ideò tamen cœleſtium ſpirituum officia defuiſsent. Gregorius, ita rem narrat.

[Caurinus, qui ipſius Arvernæ Epiſcopus Urbis datus eſt, „ in Diaconatu ſuo, Eccleſiam Vici (Icidiorenſis) rexit. Igitur „ dum nocte quadam in lectulo cellulæ ſuæ, quæ huic Baſilicæ „ adhærebat, decumberet ; audivit pſallentium, quaſi parum „ reſonantibus vocibus ; & ſurgens vidit Templum, magno ſplen„ dente lumine ; & ſtupefactus aſpicit intrinſecus. Erat enim „ cellula illa, in ſuperiore contra feneſtras Templi : & vidit, „ & ecce vidit circa tumulum multitudo albatorum, tenentium „ cereos, & pſallentium. Quod diutiſſimè cernens, cum diſceſ„ ſiſsent, ſtatim facto mane juſſit tumulum cancello vallari, ac „ palliolis nitentibus obvelari, præcepitque reverentiam loco „ illi impendi. *Ex hoc enim oratio ſuper tumulum funditur* ; & au„ xilia Antiſtitis impetrantur.] Sic Gregorius. *Ibid. ut ſupra, Cap. 31.*

De Sancto tandem Martino Epiſcopo Tungrenſi, qui cir-

ca annum 276. floruit; ex antiquis. Mss. Codicibus apud Bollandianos, sub die 21. Junii *pag.* 71 *num.*6. ista habentur: [Tan-
„ dem *Sanctum Corpus* (Martini), *in Ecclesia B. Mariæ Virginis,*
„ *juxta suos prædecessores Tungrorum, Trevirensiumque Pontifices,*
„ maximo cum honore sepelierunt; in qua, meritis ipsius, ad
„ Dei laudem, maxima fiebant miracula.] Fuit S. Martinus, septimus, à S. Materno, S. Petri Discipulo Tungrensis Episcopus; eumque, qui precesserunt Episcopi, pariter Sancti; eorumque idcircò reliquiæ cultæ, ac demùm à S. Servatio X. Episcopo à S. Materno, condigno cultu, & honore translatæ, ut apud eosdem Bollandianos *num.*7. *pag. eadem,* narratur.

C A P. VIII.

Orientalis Ecclesiæ Quarto Sæculo, in cultu, ac veneratione Sanctorum non Martyrum, præcipuum studium aperitur.

Prudent Peristerio Hymn.

EX his autem, quæ habet Prudentius, qui Quarto Sæculo floruit, in Peristerio, facilè elicere est quem cultum, venerationemque superiori ævo S. Paulus Episcopus Narbonensis obtinuerit. Recenset ille, quàm diligentissimè Urbes, ac loca, in quibus præclarissimorum Sanctorum, ac præcipuè Martyrum, sacræ quiescebant corporum exuviæ; interque eos, quem memoravimus Paulum, Carmine hoc celebrat.

[Surget, & Paulo speciosa Narbo.]

At ipso Quarto Sæculo, quo Ecclesiæ navis, quæ usque adhùc innumeris, sævissimisque persecutionum procellis jactata fuerat, in tranquillissimæ pacis portum appulisse, tandem visa est; eàdem prope ratione, qua Sanctorum Martyrum aucti honores; ita erga cœteros etiam Sanctos, qui Martyres non extitissent, cultus, ac reverentia crevit. Quod quidem probè sciens S. Ephrem Syrus qui è vivis excessit, sub anno 378., ac præ humilitate, obsequia, quæ Sanctis aliis tribui consuevisse sciebat, abnuebat: plura in suo Testamento profert, quibus docet, qualibus honoribus ii prosequebantur, qui ob vitæ probitatem, inter Sanctos censeri merebantur. Nam dicit: [*Et,*

S. Ephr. Syr. Operum Tom.3.

„ *ne ponatis me in domo Dei poni, aut sub Altari.*] Et post nonnulla: [Attendite, Fratres mei charissimi, & viscera desiderata, *ne pannos meos, velut reliquias*, monumenti gratia tollatis.] Et infra: [*Ne me cum Sanctis ponatis*: nam peccator
„ ego sum.] Imò hoc tempore eò pervenit Sanctorum non Mar-

Ibid. pag. 291.

Martyrem cultus ac veneratio, ut iisdem nondum est hoc vita emigratis, Oratoria, & Ecclesiæ construerentur, in quibus condigno honore sacra ipsorum corpora conderentur; ut apertè testatur Theodoretus in Theophilo Cap. 3. ubi de S. Marciano, qui anno 384. è vivis decessit his verbis agit. [Et multi
„ quidem ubique ædificabant Oratoria: in Cyro quidem ejus
„ Sororis Filius Alypius: Zenobia autem quædam in Calcide,
„ quæ & genere erat clara, & insignis virtute, & magnas ha-
„ bebat divitias. Alii quoque non pauci hoc faciebant, victoria
„ parta illustrē illum athletam rapere contendentes. Hoc cum
„ nosset homoDei, rogat admirabilem illumEusebium, omni ter-
„ rore plenum illi offerens jusjurandum, ut corpus in illo loco
„ deponeret, & nemo sepulcrum dignosceret, præter duos,
„ qui simul habitabant familiariores, donec præterisset magnus
„ annorum numerus. Hoc autem jusjurandum implevit homo
„ ille admirabilis. Postquam enim insignis illius victoris venit
„ finis, & Chorus Angelorum sacram illam, & Divinam ani-
„ mam, ad Cœlestes transtulit mansiones, non prius ejus signi-
„ ficavit obitum, donec cum duobus, ex familiarioribus, facta
„ fossa, & corpore deposito, complanavit terræ superficiem:
„ & quinquaginta annis, vel pluribus elapsis, cum innumera-
„ biles concurrisent, & corpus scrutati esent, ignotum mansit
„ sepulcrum. *Postquam autem unumquodque ex prædictis Oratoriis,*
„ *unum quidem Apostolorū, alterum verò Martyrum accepit reliquias;*
„ *securi deinceps illius tabernaculi & doctrinæ hæredes, cum duobus*
„ *ante annis Arcam construxissent lapideam, in ea posuerunt pretiosi*
„ *corporis reliquias, cum unus ostendisset sepulcrum: is enim so-*
„ *lus supererat, ex illis tribus.*] Sic Theodoretus, ex cujus narratione dignoscitur supparem adeò in Græca Ecclesia, Quarto Sæculo venerationem, ac cultum Apostolis, ac Martyribus, SS. Confessores obtinuisse; ut nihil omninò discriminis inter eos esset. Nam, sicut indubiè iisdem, Confessoribus decretos honores, parata, viventi adhuc Marciano, ad illius corpus excipiendum Oratoria manifestè declarant; ita corpori eidem substitutæ Apostolorum, Martyrumque reliquiæ, non minus ac istas, priores illas, fideles coluisse docet, ac observasse.

Vit. PP. Lib. 9. pag. 803.

Quid verò mirandum hoc eodem Quarto Sæculo, erga Sanctos, qui Martyres non extitissent, venerationem percrebuisse, Tyrannis, nimirum, ut diximus extinctis, si sub ejus initium, quo tempore acerbiorem omnibus persecutionem, sub Diocletiano, & Maximiano Ecclesia passa est, cultus idem mirificè enituit? Perspicuum id reddunt, quæ de S. Basilissa Virgine, S. Juliani Martyris Uxore primùm, deinde, de S. Natalia,

talia, S. Hadriani Martyris pariter uxore, monumentis tradita habemus. De hac siquidem inclyta Muliere, quæ extremum diem obiisse, sub anno 311. tradunt, ista in Actis ejus, ac S. Hadriani leguntur. [Quiescenti mox apparuit B. Hadrianus, dicens „ ei: Bene hic (Bizantium) advenisti in pace, Ancilla Chri- „ sti, & filia Martyrum: Veni ad nos in requiem tuam. Veni, „ & percipe ea, quæ tibi debentur. Illa evigilans, visionem „ indicat fratribus, rursumque obdormiens, reddidit spiri- „ tum. Volentes autem eam excitare fideles, comperiunt vi- „ ta functam. Surgentes igitur orant, *ac deindè ponunt eam juxta* „ *corpora SS. Martyrum: & precibus post eam depositionem absolu-* „ *tis, domum illam obsignarunt, in qua multi utriusque sexus com-* „ *morabantur, qui contemptis, & repudiatis omnibus quæ sunt hu-* „ *jus mundi, Domino serviebant*.] Actis verò S. Basilissæ Virginis, (quæ sub anno 309. obiisse habetur), minimè, ad id adstruendum, quod comprobare nitimur, officiunt, quæ Cardinalis Baronius, in suis ad Martyrologium notis, his verbis monet: [Basilissa, licet martyrium non obierit, tamen, quia „ multa, graviaque passa est, & dux Martyrum extitit, cen- „ sita etiam inter Martyres reperitur.] Hæc, inquam, non obstant, nam Acta, quæ illius, & Juliani res gestas referunt, tùm à Surio, tùm à Bollando relata; nec S. Eulogius, qui eorum meminit, nec S. Althelmus, qui Carmine, ac soluta oratione, illa est prosequutus; vel minimum quid, pro Christi confessione Basilissam nunquam passam fuisse dicunt: & Hymnus Breviarii Toletanæ Ecclesiæ, ab eodem Baronio citatus, hæc de eadem S Basilissa, ejusque obitu canit.

Apud Sur, & alios.

Baron in Martyrolog sub die 9. Ianuarii. Bolland. Tom. 1. sub ipsa die.

S. Eulog. Cordubens. in memor. Sanctor. lib. 1. S Althelm in lib. de Virginit. in Bibliothec. P. P. Tom. 13. Acta hac, ut antiquissimum laudat Io. Mabilon. Anaclet. Tom. 4.

Breviar. Toletan.

[Sui precatu Virgo vota obtinet,
„ Præmittit omnes jam locanda Virgines,
„ Cœlestis aulæ in beato sidere.
„ Quas ipsa claro fine mortis adsequens,
„ Orationi incubans defungitur.]

S. Basilissæ, igitur, de qua certè nullibi habetur, quod pro Christi fide, aliquid, vel minimum, (ut diximus) passa sit, sepulcrum quomodo curaverit, sedulòque S. Julianus coluerit, quæ prædiximus Acta, paucis his verbis tradunt. [Dei „ verò Providentia ita factum fuit, ut dum precibus, & ora- „ tionibus vacarent, S. Basilissa ad Deum migraret. Quam „ B. Julianus, merito Sepulcri honore prosecutus est: *dies, &* „ *noctes spirituales vigilias, ad ejus memoriam adhibens*.]

Quod igitur deinde, eodem Quarto Sæculo in ipsa Urbe Antiochia, in qua Julianus, & Basilissa floruerunt, præclarissimi sanctitate Episcopi Meletius, & Philogonius, præcipuos,

am-

amplissimosque cultus honores adeptos fuisse reperiamus; novum videri non debet. Et quidem de Philogonio solemnia Natalitia celebrari consuevisse, testatur in illis recitata, à S. Joanne Chrysostomo Homilia, quam Romano Breviario insertam, in Communi Confessorum non Pontificum legimus, ac hujusmodi initium habet. [Beati Philogonii dies, *cujus festivitatem celebramus*, „ ad ipsius rectè factorum narrationem, linguam nostram evo- „ cavit. Siquidem hodie Beatus iste, ad tranquillam, omnis- „ que perturbationis expertem vitam, transiit; eòque navigium „ appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium &c.] Tàm Homiliam, à Chrysostomo dictam, quàm Anniversariam S. Philogonii Solemnitatem, sub die 20. Decembris memorat Romanum Martyrologium, his verbis. [Antiochiæ Natalis „ S. Philogonii Episcopi, qui, ex Causidico, ad eam regendam „ Ecclesiam Dei nutu accersitus, adversus Arium, una cum „ S. Alexandro Episcopo, & Sociis primum, pro fide Catho- „ lica certamen iniit, clarusque meritis, quievit in Domino: „ *cujus annuam festivitatem*, S. Joannes Chrysostomus, præclaro „ encomio celebravit.] Homiliam verò hanc celebrasse videtur Chrysostomus, circa annum 385., postquam, videlicet Presbyter factus, prædicationis officium, in Antiochena Ecclesia suscepit.

Breviar. Roman. in Commun. Confess. non Pontif.

Martyrolog. Roman. sub die 20. Decembris.

Statim autem, ab obitu S. Meletii, æquè Antiocheni Episcopi, qui ad superos evolavit, ut Bollandiani putant, sub anno 381. celebrari cœpisse ejusdem solemnitatem; fateri cogit, ejusdem S. Joannis Chrysostomi Homilia, ab iisdem relata, quæ inter cætera, hæc habet. [Etenim, quomodo radix quædam admi- „ rabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet, per „ fructum autem ostendit vires suæ virtutis; ita etiam Beatus „ Meletius in hac Capsa conditus, ipse quidem non cernitur à „ nobis oculis corporeis; per vos verò, qui estis fructus, suæ „ gratiæ vires ostendit. Et licèt nos quidem sileamus, *sufficit* „ *Dies Festus, & fervor vestri desiderii, ad* tuba clarius proclaman- „ dum, S. Meletii, in vos amorem, tamquam in filios.] Ista Chrysostomus, qui pluribus deindè ibidem agit, de ejusdem S. Meletii imaginibus, à fidelium veneratione, eximioque in eum studio multipliciter efformatis: hæc, inter alia dicens, quæ à S. Joanne Damasceno, in Oratione 2. de Imaginibus etiam recitata reperiuntur. [Neque verò erga nomen (Meletii) id so- „ lum, sed erga ipsam corporis ejus effigiem, sic affecti eratis. „ Itaque, quod in ejus nomine fecistis, idem in imaginibus præ- „ stitistis: *adeòut multi, & in annulorum palis, & in poculis, & in* „ *phialis, & in cubiculorum parietibus, & ubique, sculptam, at-*

Act. SS. Bolland. sub die 12. Febr. Tom. 2. pag. 610.

S. Jo. Damascen. Orat. 2. de Imagin. edit. Parif. 515.

„ *que*

„ *que pictam illius imaginem habere voluerint*; quo, tùm sanctum
„ nomen illud audientes, tùm expressam corporis ejus effigiem
„ intuentes, duplicem peregrinationis consolationem acci-
„ perent.]

Quibus Chrysostomi, de Meletio, & Philogonio testimoniis, si objicias, eorum alterum nonnulla sub Licinio passum; alterum verò plura ab Arianis perpeti fuisse coactum: quo, nimirum ostendas, eo confessionis nomine, tituloque honores promeruisse, quo exornari consueverunt, qui Christum palàm confessi fuissent, non verò illo, quo, quos modo Confessores dicimus, cultu prosequi solemus. Respondebimus sanè Confessoribus sic dictis, quod à Judicibus interrogati, vel aliter Christum confessi essent, falsò asseri cultum semper præstitum, vel præstari potuisse, vel uti Martyribus indistinctè tributum. Ex quo, nonnisi perperam etiam eliceretur, uno hoc Confessionis titulo, Philogonium, & Meletum hisque similes alios Natalitiorum celebritatem, venerationemque obtinuisse. Aliter siquidem sese Ecclesia gessit cum illis, qui in eadem confessione, statim diem obiissent, vel ut in ea perseverarent, incommodi aliquid usque in finem passi essent, puto exilium, vincula, carceres: aliter verò cum illis, qui emissæ Confessioni superstites extitissent, liberique deindè evasissent. Priores siquidem, propiore Martyribus titulo ipsa colere, venerarique consuevit. In posterioribus verò, licet magni fecerit, quam emisissent fidei confessionem; illius tamen unius intuitu, cultum, venerationemque decernere illis minimè potuit; quia nimirum (uti in consumato Martyrio cui tutò cultus tribuitur), de eorum perseverantia in fide, & bonis operibus, post editam confessionem ipsam, certa esse nequivit: quare ad hæc, magis gesta, virtutesque alias prospicere debuit, in quibus ad obitum usque præclarè emicuissent: imò his tantum, quibus ornati extremum diem conclusissent, inniti cultus potuit, quem illis decrevit. Uno verbo, in his, de quibus loquimur Philogonio, Meletio, quibus addas quem supra memoravimus, Cornelium Centurionem, Nicolaum Mirensem, Spiridionem, illisque similes sexcentos alios, non una fidei confessio cultu dignos effecit; sed virtutes cœteræ in eis repertæ, ac ab illis ad obitum usque servatæ, quæ ipsos cultu, venerationeque dignos effecerunt, laudabilem quoque in illis fidei reddidit confessionem, quæ alias nil eis profuisset, si aliarum præsidio virtutum destituta depræhensa esset. Uti in Sapritio eo videre fuit, cui nihil propendum edita fidei confessio contulit, adeò ut, nec per palmam martyrii, nec alia quavis ratione ad cultum, venerationemque promerendam pervenire dignus extite-

Baron. sub anno 260. Sur. & alios

rit.

ris. Et ex dilucidius his apparet, quæ Magnus Gregorius *Dialog. L.3.Cap.32.* de Africanis Episcopis narrat, qui pro defensione Catholicæ Fidei, abscisis ab Arianis Wandalis linguis, nullum tamen locutionis solitæ sustinuere dispendium, & ore vacuo plena ad integrum verba formabant. [Quorum (inquit Gregorius) unus
„ in luxuriam lapsus, mox privatus est dono miraculi, recto,
„ videlicet Omnipotentis Dei judicio: ut qui carnis continen-
„ tiam servare neglexerat, sine lingua carnea non haberet ver-
„ ba veritatis,] Qui quidem, ut videre est, non solum veræ fidei confessionem emiserat, sed insuper passus fuerat: & tamen ex his uti minimè effectum fuit, ut in læthale crimen non corrueret, sic factum proculdubio est, ut se non modo cultu venerationeque omni indignum præberet, sed æternis insuper pœnis obnoxium redderet. Et revera cultum, venerationemque Sanctis non Martyribus præstitum, non illi uni fidei confessioni, ex qua Confessores primitùs dicti videntur, sed cæterarum (inquam) præterea virtutum intuitu, præstitum; illud manifestè declarat, quod in ipsis confessio eadem non nisi, ut specialis alicujus alterius virtutis actus, puta erga proximum Charitatis, Spei, Temperantiæ, Virginitatis, & in ipsorum Actis recenseatur; uti videre est in Athanasio, in Basilio, in Hilario, & aliis, qui licet in confessione fidei refulserint; ea tamen inter alias in quibus emicuerant heroicas virtutes, specialem, nitidioremque præ illis splendorem iisdem non contulit: itaut licet putari possit, ab ipsa confessione coràm Tyrannis facta, primum (ut diximus) vocabulum id derivatum; extensum tamen haud multo post putare necesse sit ad alios omnes, qui in sanctitate, & justitia cursum suum perfectè adeò impleverint, ut cultum, venerationemque meruerint, quam non semper, ut ostendimus, uni fidei confessioni Ecclesia asserere, nec debuit, nec potuit. Ad rem redeamus.

Alexandrinæ Ecclesiæ, in Sanctos, qui Martyres non extitissent venerationem, ex his intelligere quisque facilè potest, quæ S. Epiphanius, hoc ipso Sæculo scripto tradidit, licet id, de quo loquitur, longè ante factum, non temerè putandum sit. Circa annum siquidem 365., vel 376. percelebrem suum Panarium, eumdem S. Epiphanium conscripsisse dicitur, in quo Ecclesiam, (ut innuimus), in honorem S. Aniani, qui proximè S. Marco Evangelistæ successit, memorat. Quod quidem observavit Cardinalis Baronius, cum in notis, ad diem 25. Aprilis scripsit. [*Erat Alexandriæ Ecclesiæ nomine S. Aniani, cujus meminit*
„ *Epiphanius in Panario. hæres.69.*] Ex hac vita migrasse Sæculo Primo, sub anno 86. Domitiani Sexto, S. Anianum, advertit

Morer. in Diction. Histor.

Baron. in Not. ad Martyrolog. sub die 25. Aprilis.

Henschenius; meminitque, Baronii sententiam sequutus, Ecclesiæ, de qua loquimur, dicens. [*Nomine S. Aniani fuisse*
„ *Alexandriæ Ecclesiam, tradit, ex Epiphanio* Baronius, in Notis suis, ad hanc diem.]

Act. SS. April. To 3 ad diem 25. pag. 358. num. 3.

De Sancto etiam Donato, Evoreæ in Epiro Episcopo, quem sub anno 394. obiisse putat Baronius idem; ista habet Sozomenus. [*Huic Donato Sepulcrum est illustris Ecclesia, quæ ab ipso cognomen accepit*. Juxta Ecclesiam fons est uberrimus, quem „ Deus precibus ejus annuens, illic edidit, cum antea non esset &c.] Valesius, in notis, hæc habet. [Nicephorus in „ *cap.* 45. *lib.* 12. post has voces addit *tàm oppidum, quàm Templum* „ *Donati vocabulo appellari* subdit. Unde Ortelius in thesauro, „ scribit, Evoriam Urbem Epiri, Donatianam quoque dictam „ esse]. Et quidem, ex eximia religione, qua sanctissimum suum Episcopum est prosequuta.

Baron. in Not. ad diem 30 April. Sozomen. Eccles. Histor. lib. 7. Capit. 26 pag. 748.

Vales. ad pag. 748 pag. 158.

De anniversaria autem solemnitate, in honorem S. Petri Episcopi Sebasteni, Sanctorumque Basilii, & Gregorii Nysseni Fratris, in Epistola, ad Flavianum Episcopum, Sanctus idem Gregorius agit, his verbis. [Tandem *cum memoriam Beatissimi Pe-* „ *tri, quæ tùm primùm celebrari cœpta est, apud Sebastenos pere-* „ *gissem; itidemque Sanctorum Martyrum, qui, ut eodem cum Petro* „ *vixerunt tempore, ita celebrari una cum ipso consueverunt*; conver- „ so itinere, ad meam me Ecclesiam recipiebam &c.] Epistolæ hujus Baronius meminit, in Notis ad diem nonam Januarii. At Bollandus, qui sub eadem die, Quarto Sæculo exeunte, S. Petrum vixisse asserit, putat, non de Petro hoc, sed de aliquo seniore, S. Gregorium loqui potuisse, quod tempore Petri fratris, nullos Martyres Sebaste coronatos fuisset constet. Si sic se res habet Sanctorum igitur, qui Martyres non fuissent, suparia cum Martyribus Natalitia ante id tempus celebrabantur. At, ut verum fateamur; unde quæso tutò elicere Bollandus potuit, Petri ævo nullos Sebaste fuisse Martyres? Quia ipse non reperit? Quia modo eorum memoria non reperitur? At, unde probatur Martyrum, qui Sebaste sunt passi, integrum indicem nos habere, vel eorum etiam nomina non excidisse? At de his alibi?

Baron. in Not. ad Martyrolog. sub die 9. Ianuar. Act. SS. Ianuar. To. 1. die 9. nu. 1.

De Sancto etiam Cæsario, Bithiniæ Quæstore, qui sub anno 369. floruit, ista habet S. Gregorius Nazianzenus ejus frater, oration. 10. [Ac talia quidem sunt, quæ à nobis offeruntur, si „ autem parum, & meritis tuis inferiora. Deo quoque gratum „ est, quod fit prò viribus. Atque alia quidem persolvimus, „ alios verò dabimus, *Anniversarios honores, & commemorationes* „ *offerentes: ii quidem* certè, qui superstites erunt.] Quinam hono-

Apud Bolland. sub die 25. Febr. Tom. 3. pag. 502. num. 20.

honores fuerint, quos Gregorius Fratri persolverit, ex ipso Gregorio intelligere est, qui Cæsarium ipsum, inter Beatorum agmina se vidisse testatur. [Te Cæsarium, (inquiens) ipsum „ videbo, non jam peregrinantem, non jam ab aliis funere „ elatum, non jam hominum animos mærore, ac miseratione „ permonentem; sed clarum insignem, & sublimem: qualis „ sæpè mihi in somnis visus es, ò fratrum charissime, & fra- „ trum amantissime, sine cupiditate mea, sine ipsa veritate hanc „ mihi formam repræsentante.] Quem locum (inquit Cardinalis Baronius) citat. S. Joannes Damascenus, in Orat. de his, qui in fine migrant. Præfata autem Gregorii verba: [alios da- „ bimus Anniversarios honores], Bollandus in margine explicat, dicens: [*Præsagit Anniversarios ei honores habitum iri*.]

Orat. in funer. Apud Baron. in Not. ad diem 25. Februar.

Magni Athanasii verò Alexandriæ Episcopi Solemnia Natalitia, præclarè testata facit Gregorius idem Nazianzenus in Orat. XXI. in Natalitiis iisdem ab illo habita, in qua hæc, inter alia. pag. 376. [Cum pauca ex multis illius rebus, quæque nunc no- „ bis, ut notiora, & insigniora ultrò memoria suppeditat, com- „ memoraverimus, ut simul, & cupiditati nostræ satisfaciamus, *& Officium huic Festo debitum* persolvamus; plura iis, quibus ea „ cognita sunt relinquemus.]

Nec sunt prætereunda, quæ de S. Hilarione, præclarissimo Anachoreta, in ipsius vita, ad rem, de qua agimus, S. Hieronymus monumentis tradidit. Et primùm quidem meritò animadvertendum, quanta religione Hilarion ipse, loca cuncta, resque, quas Magnus Antonius, in vivis dum esset, quodammodo sanctificaverat, eique usui fuerant, visitaverit, veneratusque sit: & quod Natalitium ejus diem, eo ipso in loco, ùbi è vivis excesserat, celebrare voluerit. [*Confessus est fratribus*, (sunt „ Hieronymi verba) *instare diem dormitionis Beati Antonii*, *&* „ *pervigilem noctem*, *in ipso*, *quo defunctus fuerat loco*, *à se illi de-* „ *beri celebrari*.] Et post nonnulla: [Videres senem, hùc, at- „ que illùc, cum Discipulis B. Antonii discurrere. Hic ajebant „ psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat. „ Has vites, has arbusculas ipse plantavit; illam areolam ma- „ nibus suis ipse composuit. Hanc piscinam, ad irrigandum „ hortulum, multo sudore fabricatus est. Istum sarculum, ad „ fodiendum terram, pluribus annis habuit. *Jacebat* (Hilarion) „ *in stratu ejus*, *& quasi calens adhùc*, *cubile deosculabatur &c.*] Et quidem in Vitæ Antonii, à Magno Athanasio scriptæ Cap. 59. Rosvveydam Scoliastem, ista minime latuere; quapropter ex Baronio exscripsit. [Baronius (ait) sepultus est Antonius inco- „ gnito loco, ea, nimirum ex causa, quod id ipsemet præce-

S. Hieronym. in Vit. S. Hilarion. cap. 25. 26. & cap. 30.

„ pisset, ut S. Hieronymus testatur in Hilarione; ne scilicet
„ Pergamius, quidam, ipsius studiosissimus, qui in illis locis
„ ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore (Mar-
„ tyrium fabricaret); non enim tanti se meriti esse rebatur, ut
„ æqualem Sanctis, in terris honorem, sibi impertiri vellet.
„ Verum quantumlibet id magnis contestationibus, Discipulos
„ suos admonens fuerit consecutus, ut corpus suum mandarent
„ occulto loco sepulcro: haud tamen valuit prohibere, quin
„ honores Sanctis, & Deo dilectis impertiri soliti particeps fie-
„ ret, ut nempe *Natalis ejus migrationis Dies, ex antiquo Ecclesiæ*
„ *more, pervigilio, & sacris cæteris ritibus coleretur*. Nam de S. Hi-
„ larione scribit Hieronymus, quod cognito licet longè absens
„ Antonii obitu, illuc magno labore se contulit, ea nimirum
„ ex causa, *ut Anniversarium illius dormitionis Diem, eodem, in*
„ *quo defunctus erat loco, præviis nocturnis Vigiliis celebraret*: quod
„ pium officium, cùm cœteri in Ægypto Catholici, tùm etiam
„ universa Ecclesia Catholica præstare hactenus non prætermi-
„ sit.] Sic ille: & quidem solemniorum Natalitiorum S. Antonii extra Ægyptum, sub initium sequentis Quinti Sæculi, in Vita S. Euthimii Abbatis, meminit Cyrillus Monachus, qui eo tempore floruit. De excubiis autem, ad ejusdem S. Hilarionis sepulcrum, à Sancta quadam muliere, Constantia nomine agi solitis, scribit Hieronymus ipse: [Erat solita pervigiles in

D. Hieronym. Ut sup. Cap. 39.

„ Sepulcro ejus noctes ducere, & quasi cum præsente, ad adju-
„ vandas orationes suas sermocinari.] In quæ verba eruditus Scholiastes scribit. [Disce Hæretice, Sanctorum orationibus,
„ fidelium orationes adjuvari &c.] Diem autem extremum clausit, juxta Baronium, Hilarion, Sæculo Quarto, anno, nimirum, Domini trecentesimo septuagesimo secundo.

C A P. IX.

Occidentalis Ecclesiæ, præcipuè in Italia Quarto eodem Sæculo, in Sanctos non Martyres religio.

OCcidentalis Ecclesia studium suum, erga Sanctos, qui Martyres non extitissent, hoc eodem Quarto Sæculo, ab eo Orientalis superari passa non est; immò tantò impensius ei incubuit, quantò Superiori ævo, licet fortè, præ illa persecutionibus præpedita, ferventius se ipsi adjecerat. Cuncta referre, quæ ad id comprobandum, in medium adduci possent, nimis operosum

ſum eſſet; pauca, ex multis, idcircò exhibere ſat erit; rem agreſsi, à Magno Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, qui anno Domini trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, ex hac vita migravit.

Bugattus Caſtillioneus. *Hiſt. Univerſal. Lib. 2. Italic. edition. Puticellus Monum. Ambroſ. mon.* 1. Chronicon. Flos Florum. Flamma in Chronic. Majori apud Joſephum Septimium à Laude, & Alanum de Maculanis in *Diſſert. Hiſtoric.* de Tumulo S. Marcellinæ Virginis §. 1. pag. 7. Tres Baſilicas tradunt à S. Ambroſio ædificatas: [Deiparæ, *ac cæteris Virginibus* unam, quæ nunc „ S. Simpliciano; aliam *Petro, ſociiſque Apoſtolis*, quæ S. Na- „ zario. Tertiam *Prophetis omnibus, ac Confeſſoribus*, quæ San- „ cto Dionyſio nuncupatur.]

Ejuſdem autem Ambroſii exequias, his verbis proſequitur Paulinus. [Ad Eccleſiam majorem, antelucana hora, quâ „ defunctus eſt, corpus ipſius portatum eſt; ibique eâdem fuit „ nocte, quam vigilamus in Paſcha, quem plurimi Infantes, „ cum à fonte venirent, viderunt; itaut aliqui ſedentem in Ca- „ thedra Tribunali dicerent, alii verò aſcendentem, ſuis parenti- „ bus digito oſtenderent; ſed illi videntes videre non poterant, „ quia mundatos oculos non habebant. Plurimi autem ſtellam „ ſuper caput ejus, ſe videre narrabant. Sed luceſcente Die „ Dominico, cum corpus illius, peractis Sacramentis Divinis, „ de Eccleſia levaretur, portandum ad Baſilicam Ambroſia- „ nam, in qua poſitus eſt; ita ibi Dæmonum turba clamabat „ ſe ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non poſset. Quæ „ gratia Sacerdotis, non ſolum in illo loco, verùm etiam in „ plurimis Provinciis, uſque in hodiernum diem manet. *Ja-* „ *ctabant etiam turba virorum, ac mulierum oraria, vel Semicintia* „ *ſua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipſis contingeretur*. Erat enim „ exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totius- „ que ſexus, omniumque penè ætatum; non ſolum Chriſtia- „ norum, ſed etiam Judæorum, & Paganorum; majore ta- „ men gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.]

Paulin. apud Baron. Tom. 1. lib. 2. pag. 294. 2. n. 25.

Videndum nunc, an eadem ferè, quæ fideles, erga Ambroſii corpus venerationis detuliſse officia, Paulinus ſcribit; eadem ipſa quoque, erga ſacras Martyrum reliquias deferre conſueverint. Doceatque nos id Ambroſius ipſe, in Epiſtola ad Marcellinam Sororem, qua de inventione Sacrorum corporum SS. Gervaſii, & Protaſii certiorem reddit. [Cognoviſtis, (ſcribit), „ immò vidiſtis ipſi multos à Dæmoniis purgatos; plurimos etiam, „ ubi veſtes Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus la- „ borabant debilitatibus, abſolutos: reparata vetuſti corpo-

D. Ambroſ. Epiſt. 54. Oper. Tom. 5. pag. 247.

ris

„ ris miracula, quo se per adventum Domini Jesu gratia terris
„ major infuderat, umbra quadam Sanctorum corporum,
„ plerosque sanatos cernitis. *Quanta oraria jactitantur? Quanta*
„ *indumenta super reliquias sacratissimas, & tactu ipso medicabilia*
„ *reposcuntur? Gaudent omnes, extrema linea contingere, & qui*
„ *contigerit, salvus erit.*] Hæc Ambrosius, qui dum recolit, à fidelium pietate, fideque exhibitos SS. Martyrum corporibus honores, descripsisse quoque visus est eos, quibus sacrum suum corpus deinde à fidelibus ipsis prosequutum est.

At prævidit insuper, ac quodamodò digito ostendit præclarū sepulcrum illud, in quo suum idem corpus condendum erat, dum ad ipsam Sororem in hæc verba pariter scripsit; [Succedant
„ victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed illæ
„ super Altare, qui pro omnibus passus est; isti sub Altari, qui
„ illius redempti sunt passione. *Hunc ego locum prædestinaveram*
„ *mibi. Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre*
„ *consueverat. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus*
„ *iste Martyribus debebatur.*

Obtinuisse autem Ambrosium, quem sibi ante Sanctorum Martyrum Gervasii, & Protasii inventionem, primùm prædestinaverat locum; contra Pseudo-censores probatissimam traditionem, (Scriptorum, & monumentorum aliorum auctoritate firmatam) improbè impugnantes, perspicuè ostendit, V. C. Joseph Antonius Saxius, in sua Dissertatione Apologetica, qua Ecclesiæ Mediolanensi sacra corpora SS. Protasii, & Gervasii vindicat. In ea siquidem, inter alia, hæc habet. [Invaluit apud Mediolanenses, hæc, veluti per manus tradita opi-

Io. Anton. Sax. Dissert. Apolog. cap. 5. pag. 91.

„ nio, constans tamen, & omnem suæ originis memoriam vin-
„ cens, quod Sanctissimus Parens, & Præsul noster Ambro-
„ sius, *conditus fuerit* medius inter Sanctos Martyres Gervasium,
„ & Protasium, nec absque miraculo: fertur enim, cum su-
„ premo pietatis obsequio, infulatum cadaver, ad ipsorum
„ tumulum deponeretur: paululum sejunctos invicem recessis-
„ se, ut medium exciperent; quasi officioso hoc prodigio, &
„ rependere vellent probè merito Antistiti acceptum tumuli
„ honorem, & ejus sanctitatem facto, quàm voce testari; Ne-
„ que &c.] Sic ille, qui præfatæ Dissertationis toto Capite Quinto, innumeris argumentis, monumentisque, (ut innuimus) rem eamdem prosequitur: & quæ attulimus in Epistola ad Sororem Ambrosii verba, in alium sensum detorquere connixos, eximia eruditione refellit. Et cap. 4. inter alia, Baptistæ Mantuani hæc carmina refert.

Idem cap. 4. pag. 73.

[Am-

[Ambrosius, vobis id significantibus, alta *Io. Bapt. Mant. In fastis. ad aud. SS. Gervas. & Protas.*
„ Sub Tellure simul vos invenisse jacentes
„ Dicitur, & celebri vos exornasse sepulcro.
„ Hunc quoque vobiscum fertur recubare, tribusque
„ Esse unam post fata Domum.]

Conditum adeò insigni miraculo, in ipso Martyrum sarcophago S. Ambrosii corpus, summa veneratione fideles idcircò coluisse mirandum non est. Inter eos autem, qui hoc eo tempore præstiterunt, ritè censendus S. Bassianus Laudensis Episcopus, de quo ista apud Bollandum recitantur. [Ambrosio morien- *Act. SS. Ianuar. Tom. 2. sub die pag. 226. num. 6.*
„ ti affuit, ejusque diem mortis domesticis prædicens, pio fu-
„ neri operam dedit. Immò verò, post aliquot dies sanctissi-
„ mi Doctoris Sepulcrum piè veneraturus, Mediolanum re-
„ dit &c.]

At pauca sunt hæc, si cum iis conferantur, quæ in honorem S. Ambrosii, atque ad ipsius sepulcri venerationem, à Sancto Simpliciano ejus successore sancita reperiuntur. Rem, ex Mediolanensis Ecclesiæ monumentis, sic narrat Ripamontius: *Ripamont. lib. 6. Hist. Eccles. Mediol. decad. 1.*
[Crescente quotidiè magis Ambrosii desiderio, famaque vir-
„ tutum, & miraculorum ipsius increbescente, institutum hunc
„ morem à Simpliciano, (traditum est,) ut Provinciales Epi-
„ scopi, quamquam dissiti terris, graves ætate, distenti sui
„ muneris occupationibus, absque discrimine ullo, vel excu-
„ satione, Mediolani per hebdomadas in orbem adessent, fa-
„ cturi rem Divinam in Ara, quæ nimirum inclyta tanti viri re-
„ liquiis, & nomine patere deberet ad sacrificandum iis tan-
„ tummodo, quos dignitas Pontificia faceret venerabiles, &
„ augustos. Tunc, scilicet Episcopos, ut sua quemque dies
„ admoneret, ex variis Provinciæ locis, longiore quàm hodiè
„ distant intervallo, ire in Metropolim hanc consuevisse, de-
„ functosque rite vicè sua, pari celeritate domos remigrare:
„ domicilium in Urbe, (lege propè Urbem) fuisse constitutum
„ hebdomatico, ad tertium indè lapidem, qua parva nunc
„ D. Gregorii, (Georgii) templo cognomen fecit. Ex eo do-
„ micilio Pontificem, cujus esset hebdomada, pulsu Campa-
„ ni æris excitari solitum, intempestæ noctis silentio matutinus,
„ ut sisteret ad Aram. Mansisse solemne hoc, donec pertæsi
„ spatio viarum, irrequietosque commeatus Episcopi, contu-
„ lerint in medium vectigalia, & stipes largè suffecturas in ea
„ Sacra, dederintque sui muneris Vicarios, ac ita duræ pere-
„ grinationis incommodo, & labore, sunt levati:] Hacte-
„ nùs Ripamontius.

Ambrosii Syncronus S. Philastrius extitit Brixiensis Episco-

ſcopus, cui ob inſignia merita, ſtatim ab obitu, & cultum, & Natalitiorum decretum fuiſſe honorem; in Homilia, in ejus die Feſto habita, S. Gaudentius ejuſdem in Epiſcopatu ſucceſſor, poſt plura his verbis teſtatur. [Pauca hæc, de virtutibus hominis „ Dei, breviſſimo Sermone memoravi, *ne Dies iſte, quo ad ſu-* „ *perna migravit Beatus Philaſtrius Patronus noſter, cujus hodie* „ *Feſta celebramus, triſti ſilentio inglorius præteriret. Nam cum* „ *meritorum ejus præconia, quatuordecim jam per annos, ſolemnitatis* „ *hujus cultum renovans, auditui veſtro intulerim plura, quæ prædi-* „ *cari adhuc poſſunt „intacta perſpicio. &c.*] Facilè ex his liquere, obſervat hic Gaudentii Scholiaſtes, Sermonem hunc XXI. à Gaudentio eodem, paulo poſt annum 400. habitum fuiſſe; cum Epiſcopatum ipſe, Ambroſio præſertim Auctore, accepiſſe videtur circa annum 387.

Ante Ambroſium rexerat Eccleſiam Mediolanenſem S. Euſtorgius, circa annum 337., à quo Mediolanum Sanctorum trium Regum, qui Chriſtum Dominum venerati ſunt in cunabulis, corpora translata fuiſſe, narrat ejuſdem Vita, ex priſcis monumentis, ut notat Baronius, à Mombritio ædita, in qua iſta habentur: [Itaque in celebri loco, *ubi in diebus ſuis in bonore* „ *Dei, & ipſorum*, honorabilis eſt fabricata Eccleſia. Eamdem „ Arcam, cum SS. trium Regum corporibus, honeſtiſſimè col- „ locavit.] Quibus iſta noratu digna ſubjiciuntur: [*Vbi, vi-* „ *delicet eſt ſons celeber, & ſanctiſſimus, in quo baptizabantur San-* „ *cti, ad Chriſti fidem venientes. &c.*] Inexploratum eſt adhuc, an per martyrium vitam æternam Sancti hi Reges adepti ſint, vel potius naturali morte è vivis exceſſerint. Quod quidem, ſi accidit, æquè, ac illas Martyrum eorumdem reliquias habitas fuiſſe, oſtendit locus, in quo illas collocavit Euſtorgius; dum, videlicet, ubi erat fons baptiſmalis, qui inter Martyrum tumulos paſſim conſtituebatur, eas ipſas poſuit. De ipſo verò S. Euſtorgio, in præfata vita hæc habentur. [Sepultus eſt „ autem B. Euſtorgius in venerabili SS. Regum Eccleſia, in ipſius „ honore, & nomine poſtmodum inſtituta &c. Nos ergo Fra- „ tres Chariſſimi, tanto Patri digna reddentes obſequia, exul- „ temus omnes in Domino, & ſpirituali jucunditate lætemur, „ & *Beatiſſimi Pontificis, & Patroni noſtri Euſtorgii Sancta Solemnia* „ *corde, & animo celebrantes &c.*] Sic vita, ex priſcis, ut diximus, monumentis accepta.

Baron. ad diem 12. Ianuar.

Mombrit. Tom. 1. pag. 317.

Floruit hoc ipſo Sæculo S. Geminianus Mutinenſis Epiſcopus; in cujus Actis à Mombritio primùm, deinde à Bollandianis relatis, hæc inter cœtera, habentur. [Poſt Sancti, & ſæ- „ pè nominati Paſtoris Geminiani memorabilem tranſitum,

B. Theo-

„ B. Theodoretus Mutinensis Ecclesiæ, Domino volente, se-
„ dem obtinuit &c. *Qui super Sacrosanctum nominandi Patris Ge-*
„ *miniani tumulum, faventibus Civibus, honorificam, à fundamen-*
„ *tis construxit Basilicam: cujus consecratio, ex more celebrata omni*
„ *devotione, ad ejus sepulcrum plebs urbana, & rustica, quotidia-*
„ *nis miraculis oblectata, ardentissimè confluebat. Interea revolven-*
„ *te anni orbita, Die sancti ejus funeris Anniversaria, infinita popu-*
„ *lorum ad Ecclesiam convenit caterva. Quo, dùm à Clero nocturni*
„ *officii conventus evolvitur, languentium grex expertus est sanita-*
„ *tem. Cumque populi in laudibus prosilientes, Missarum Divina*
„ *solemnia, ab ore præfati Præsulis præstolarentur &c.*] Et narra-
tur præclarum miraculum, meritis S. Episcopi, eadem celebri-
tatem patratum.

Qui scripsit Acta S. Gaudentii Episcopi Novariensis, (qui obiit circa annum 397., vixitque, (inquit Baronius, tempore Leonis Episcopi successoris, qui sedit temporibus Pauli Papæ, narrat sacrum ejusdem corpus, in Basilicam, ab ipso S. Gaudentio ædificari cœptam, & à B. Agapio perfectam, debitisque cæremoniis dedicatam: [senis post defunctum mensibus, bis senis „ diebus additis], fuisse translatum, summoque honore sepulcro traditum; & Acta eadem his verbis concludit. [Ori ma-
„ num imponimus, introrsus ad conscientiam redire festina-
„ mus. Et quidem indigni famuli, dum imitari non possumus,
„ patronum nobis fieri precibus postulamus: *ut ejus meritis adju-*
„ *vemur, cujus Natalitia celebramus*. Eo adjuvante &c.]

In Not. ad diem 22. Ianuar.

S. Juvenalis Narniensis Episcopus, sub anno Domini 389. à Paperbrochio adnotatur, ac de illo, hæc apud ipsum referuntur. [Aerius, datis muneribus, ejus, (*nempe Juvenalis*) suc-
„ cessori, verè Ven. Maximo Episcopo, qui quadraginta an-
„ nis, ac tribus mensibus Cathedram ejus possedit, rogaverunt,
„ eum, *ut ei Basilicam, cum Confessione construeret; & factum est*.

Act. SS. Maii die 3. tom. 1. pag. 389. num. 6.

„ Recondentibus iis abdito loco sacrum corpus, ubi, ex
„ lapidibus, auro, argentoque constructa Confessio constat;
„ & super ejus venerabile corpus carmina signaverunt hoc
„ modo:

„ Secretus locus intus in est, Sanctique recessus,
„ Quem dum summa petit Juvenalis morte dicavit.
„ Quo sibi post obitum placuit dare corpus humandum.
„ Incaute manibus scindens; ne polluat imber.
„ Idibus Augusti, Domino præstante sepultum.

„ *Die verò Natalis ejus*, Confessio ipsa, tàm marmora, quàm
„ aurum, vel argentum tanti sudoris aqua distillat, ut cum
„ spongiolis tergentes, in ampullis recondant, mixtaque cum

„ sancto oleo, multis infirmis deportatur, & Domino coope-
„ rante, sanantur. *Hæc autem gesta, jubente Venerabili Maximo*
„ *Episcopo edita sunt, petentibus his, qui & vitam, & actus ejus*
„ *requisierunt.*]

Ex novissimis hisce verbis, eum, qui ista conscripsit agnoscimus sinchronum, nempè, Maximi Episcopi, qui proximè in Episcopatu Narniensi, S. Juvenali successit; eidemque prædecessori suo, & Basilicam, & in Basilica Confessionem, in qua sacrum ejusdem corpus reconderetur, erexit. Perspicuèque intelligimus etiam, non modo Natalitia ipsiusmet Sanctissimi Episcopi celebrari consuevisse; sed ea insuper, præclaro, quod refert miraculo, quotannis à Divina Bonitate exornata, evidentissimè percipimus.

Act. SS. Maii. Tom. 4. die 19. pagin. 330 num. 5.

Magnum hinc videri non debet, quod sub hoc ipso Quarto Sæculo, de S. Theodoro Lucensi Episcopo, sub die 19. Maii legimus, apud Henschenium, videlicet. [Vir autem Domini
„ Theodorus, ab ineunte ætate, usque ad decrepitam senectu-
„ tis vitam, semper optimis operibus pollens, servitiaque
„ Dei peragens, feliciter agonem sui cursus consumans, mi-
„ gravit ad Dominum: *cujus Natalitius dies recolitur XIV. Kal.*
„ *Junii.* Reconditum est verò ejus venerabile corpus, in Basi-
„ lica B. Donati Episcopi, in qua ille dudum Præsul extiterat
„ mirificè regendo. *Cives* verò, ob beneficiorum suorum auxi-
„ lia flagitanda, super B. Viri corpus Altarium construxerunt,
„ quatenus B. Confessor, suis precibus eos adjuvare digna-
„ retur.]

Non Altare non tantum, sed Basilicam super corpus S. Marci Lucerini Episcopi erectam fuisse, apud prefatum Henschenium, sub die 14. Junii, ex MSS. Boviensis Ecclesiæ, habemus. Floruit is, circa annum 328. & de illo scripta hæc reperimus.

Act. SS. Junii Tom. 2. sub die 14. pag. 804. Cap. 2. num. 13.

[Cum jam esset B. Marcus annorum sexaginta duorum, febri
„ correptus, spiritum Deo reddidit: *& Depositionis ejus Dies ce-*
„ *lebratur Nonis Octobris*: qui testamentum fecit, & sibi placuit,
„ ut in Civitate Bovini sepelliretur: quod honorificè factum
„ est, *& super Sanctum corpus ejus, Ecclesia sui nominis locata est*:
„ Cunctorumque Sacerdotum, & plebis universa turba, qui
„ ad Sanctissimum Viri Dei obitum venerunt, omni suavitatis
„ odore repleti sunt, ac si illic fuissent omnia aromata diffu-
„ sa. &c.]

Plus tamen fuit quàm cum Ambrosio sub Altari locum sibi sepulturæ prædestinasse; vel cum Juvenali, Theodoro, ac Marco, Confessionem, Aras, Basilicam post mortem obtinuisse, S. Elpidium Episcopum Atellanum in Campania Felice, adhuc viven-

viventem, ad proprium, Fratris Cyonis Presbyteri, & Elpicii Levitæ Nepotis corpora tumulo mandanda, Ecclesiam construi voluisse, ac curasse. Et tamen id hoc ipso sæculo factum legimus, apud toties memoratum Henschenium. En, quæ apud ipsum habentur. [Anno, à salute trecentesimo nonagesimo quinto &c.
„ Post Civitatis (Atellanæ) incendium, paucos superstites Ci-
„ ves, suis monitis, sanctis, & placidis verbis, consolatus est, ac
„ in fide fortes, constantesque servavit, suæque sanctitatis fa-
„ ma incolarum numerum auxit brevi; quos cum pace fruen-
„ tes videret, *suo nomini, locum victoriæ contra Dæmones habitæ,*
„ *ædificandum curavit, ubi adveniente suæ mortis hora reconderetur.*
„ Peractum citissimè fuit sancti ædificii locus, ubi invocaretur
„ Divinum auxilium, & quotidiè laudis hostiæ immolarentur
„ altissimo. Ibique, paucis post diebus Elpicium Nepotem
„ Levitam, vigesimum secundum annum ætatis agentem,
„ (quem Cœlesti victu, magis quàm temporali, ab incunabu-
„ lis educaverat), sanctitate vitæ clarum, reposuit. Et mox
„ Cyonem Presbyterum germanum, æquali sanctitate conspi-
„ cuum: quibus Beatissimus Elpidius, in Domino quiescens,
„ fuit adjunctus: quorum precibus adjuvantur, quotquot ad
„ eos, in fide, nihil hæsitantes, confugiunt.]

r Act. SS. Maii tom. 5. sub die 24. pag. 283.

Hoc demùm Quarto Sæculo, non modo in honorem Sanctorum, qui Martyres non extitissent, fundatas passim Basilicas, (ut vidimus) depræhendimus, in quibus, nimirum, sacra eorum corpora venerabiliter colerentur; sed, ad eas in honorem illorum excitandas, fidelibus sat fuisse, quascumque ipsorum Sanctorum reliquias; manifestè declarant, quæ apud Bollandianos, de S. Syro Episcopo Genuensi, qui floruit circa annum 330. narrantur. Ibi enim dicitur, quod Nauclerus quidam, sudarium abstulit, sanguine madidum, qui è naribus Sanctissimi Episcopi defluebat, cum ad sepulturam deferretur; abstulit, inquam, ac in Libiam secum detulit, pluribus insignitum miraculis. [Quo viso, (verba sunt narrationis), Episcopus loci
„ illius, (quò, nimirùm Nauclerus appulit), *una cum Christia-*
„ *na plebe, Basilicam, ad nomen ejus (S. Syri) fundaverunt: ibi-*
„ *que sub tegmine Templi, sudarium condiderunt: de cujus tactu,*
„ *infirmi, à languoribus curati sunt &c.*]

Act. SS. sub die 29. Junii Tom. 5. pag. 482.



C A P. X.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ipso Sæculo, erga Sanctos non Martyres veneratio. Eorumdem cultus, in cœteris Ecclesiis exemplis adstruitur.

STudio prætereamus referre singula, Summorum Romanorum Sanctissimorum Pontificum Silvestri, Marci, ac Damasi, qui hoc ipso Sæculo floruerunt, quibusve amplissimum cultum exhibitum fuisse, vel adhuc extantia monumenta testantur; quod superfluum meritò videri queat, in tàm redundanti utriusque Ecclesiæ consensu, in tàm manifesta Ecclesiarum earum, quæ proximiores Romanæ Ecclesiæ essent, praxi, ostendere; vel ea inconsulta, quæ omnium Mater, Caputque extiterat, hæc peragi potuisse; vel eam unam, se ab iis abstinere voluisse, quæ ab initio ipsamet, ut vidimus, egerat; quæve cœteræ omnes erga Sanctos, qui Martyres non extitissent, cumulatissimè præstiterunt. De memoratis idcircò Pontificibus pauca prælibare sat erit. Et primùm quidem in calce Gelasiani Decreti Part. 1. Dist. XV. Cap. 3. [Sancta Romana Ecclesias &c.] (sive ab Ordine Romano, sive aliunde acceptum id fuerit) S. Silvestri Papæ Natalitia his verbis adnotata reperiuntur: [*In Natali S. Sil-*
„ *vestri, similiter*.] Hoc autem Natale, longè ante Gelasium celebrari cœptum, perspicuè intelligitur, ex ejusdem Decreti verbis, cum nimirum, de Actis ipsius S. Silvestri agit. [Item Actus
„ (dicens) B. Silvestri, Apostolicæ Sedis Præsulis, licet ejus,
„ qui conscripsit nomen ignoremus, à multis tamen in Urbe
„ Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu, multæ
„ hoc imitantur Ecclesiæ.] Cum autem Acta Sanctorum, in eorum Natalitiis potissimùm legi consueverint; si, pro antiquo usu, Romanorum sectantes exemplum, Ecclesiæ multæ, Acta eadem legere consueverunt; profectò sequitur Natalitiorum, in quibus legebantur, apud Romanos, antiquissimum fuisse morem, utpote qui aliarum Ecclesiarum, quæ eorundem vestigiis inhæserunt, antiquum morem præcedere debuit. Antiquissimum autem, quis meritò dicere potuisset, si Sæculo tantum, quo Gelasius floruit, nempe Quinto incœpisset? Liquet, igitur, præcedenti potius, nimirum Quarto, paucisquè ab obitu Silvestri annis, & Natalitia, & cultum ei attributum, qui deinde, & in Urbe, & extra sequenti Sæculo magis excrevit:

vit: nam, qui ante Gelasium, in Summi Pontificatus culmine constitutus fuit S. Simplicius, patria Tiburtinus, duas, quæ adhùc exstant Basilicas ibidem construxit, in quarum prima Apostolorum Principi dicata, sacram S. Zotici Martyris, potiorem Corporis partem (quam nos ipsi nuper, nempe anno 1724. Antonio Fonseca Tiburtino Episcopo nostris precibus annuente, reperimus) condidit. Alteram verò, in S. Silvestri honorem Deo dicavit. Cujus quidem exemplum sectatus est deindè Simachus, qui bienio post Gelasium Apostolicam Sedem ascendit, cùm in ipsa Urbe Roma, juxta Thermas Trajanas, in honorem SS. Silvestri, & Martini Basilicam quoque construxit.

Sanctus Damasus autem, sicut Sanctorum Martyrum sepulcra versibus exornare consuevit, ita æquè honestandum illud S. Marci Papæ, his carminibus censuit.

S. Damas. Carm. 34. pag. 91.

[Vita fuit Marci, quam novimus omnes,
„ Ore Dei posset, qui temnere mundum
„ Oravit Populos quod disceret omnis,
„ Grandis honor vitæ contemptus habendi.
„ * Virtus tennit penetralia cordis
„ Te Custos Christri perfectus Amicus,
„ Et Damasus tumulum cum reddit honorem
„ Hic Marcus, Marci Vita, fide, nomine consors,
„ Et meritis &c.]

Vet. Martyrolog. S. Hieronym. sub die 6. Octob.

Ista Damasus, de Marco, qui in Hieronymiano, quod vocant, etiam Martyrologio adnotatus, reperitur. At quod Damasus, de se ipso statuit, nec ab iis differt, quæ Ambrosius gessit, iisque consonum est, quæ cum Sanctorum Virorum corporibus agi consuevisse, ut, videlicet juxta SS. Martyres sepelirentur, supra ostendimus, perspicuum est; licet Sanctissimus Pontifex, de se demissè admodùm sentiens, eo honore se minimè dignum censeret. Dè sepulcro siquidem suo sic ipse canit.

S. Damas. carm. 29. pag. 91.

[Hìc congesta jacet quæris, si turba piorum
„ Corpora Sanctorum retinent veneranda sepulchra
„ Sublimes animas rapuit sibi Regia Cœli.
„ Hic comites Xisti portant qui ex hoste trophæa.
„ *Hìc numerus Procerum servat. qui Altaria Christi.*
„ Hic positus longà vixit qui in pace Sacerdos.
„ Hìc Confessores Sancti, quos Græcia misit.
„ Hìc Juvenes, puerique, Senes, castique Nepotes.
„ Quis mage Virgineum placuit retinere pudorem.
„ Hìc, fateor, Damasus volui mea condere membra,
„ Sed cineres, timui, sanctos vexare piorum.]

Et

Et ex hoc quidem Damasi carmine, nemo certè est, qui non intelligat, & eum Sacerdotem, qui diù in pace vixit; & eos virgines, senes, & pueros, quos inter condi Sanctus Pontifex optavit, omnes Martyres non extitisse; licet Sanctos eos omnes, ab illo habitos, utique Sanctos cultos fuisse, satis, superque ostendat versus ille.

[*Hic numerus procerum servat, qui Altaria Christi*.]

Cui, ut ritè observat Marzius Milesius, similis est ille, de Sancto Gorgonio, ab ipso Damaso exaratus.

In Not. ad Carm. 29. pag. 186.

[Gorgonium retinet, *servat, qui Altaria Christi*;]

Quibus, nimirum verbis, dum Altaria, ad corpora constituta referuntur; iisdem haud dubio cultus exhibitus dignoscitur. Et revera Anastasius, dum de sepultura Damasi agit, verba hæc adhibet. [Qui sepultus est *Via Ardeatina, in Basilica sua*;] quam ipse, videlicet, ædificaverat, ac cum Sanctis condi exoptaverat; eo, nimirum tempore, quo non nisi Sanctorum corpora in Basilicis condebantur.

Anastas. de Vit. Pont. in Damas.

Cum verò, ex suburbanis locis, in quibus Martyres sepulti fuerant, eorumdem corpora, in Ecclesias intra Urbem constructas transferri contigit; tunc translatum quoque illud S. Damasi fuisse, perspicuè, ex his elicitur, quæ Anastasius idem scribit in Adriano primo, à quo in hunc modum honoratæ ipsius Sanctissimi Pontificis reliquiæ narrantur: [Renovavit, & tectum Basilicæ B. Laurentii, quæ appellatur Damasi, ubi, „ & vestem super ejus Altare de stauracim obtulit, simulque, & „ aliam vestem de post Altare fecit, ubi requiescit corpus Sancti Damasi.] Et hæc satis, & obiter, de Sanctis Summis Pontificibus Romanis, (ut præmonuimus); dicta esse volumus. Investigandum nunc est, an præter eas, quas recensuimus Italiæ Ecclesias, aliæ quoque longius ab ea constitutæ, laudatissimum, erga Sanctos, de quibus loquimur, cultum servaverint. Ad quod quidem adstruendum, omissis (propè innumeris), quæ producere possemus exemplis, sat erit per pauca hæc tantum referre.

Idem in Adrian.

Floruit hoc Sæculo, S. Turibius Cenomanensis Episcopus, de quo, ex Mss., sub die 16. Aprilis, hæc narrant Bollandiani: [Obiit autem prædictus B. Turibius Episcopus Sext. Dec. Kal. Maii, & sepultus est, juxta prædictam Urbem, ultra Flu- „ vium Sarthæ, in Ecclesia Apostolorum, ubi virtutes multæ „ clarescunt, per merita S. Turibii, ibique Paralitici, & Le- „ prosi curantur, & Dœmoniaci liberantur, & cœci visum „ recipiunt &c.] Qui ista de S. Turibio scripsit, in fine se ipsum, his verbis prodit. [Ego Carus Filius Severi, Dei servus, hanc S. Tu-

Act. SS. April. Tom. 2. sub die 16. pag. 420. num. 13.

Ibid. pag. 415.

„ S. Turibii vitam, *ſicut vidi, & audivi, ac veraciter didici*, „ in hac paginula, ex parte ſcribere curavi.] De hac verò vita, necnon Actis quorumdam priorum Cenomanenſium Epiſcoporum, hanc Godefridus Henſchenius profert ſententiam. [In hiſce Actis, eſt antiquiſſima memoria primorum Epiſco- „ porum, quam hactenùs licuit obſervare, *cum certo cultus Ec-* „ *cleſiaſtici inditio*: & ex iis iſta excerpimus.] Sic Henſchenius.

Non diffitemur autem S. Illidii, Epiſcopi Claramontani venerabile corpus, ſtatim ab obitu in crypta fuiſſe ſepultum; verum, ex hoc minimè elicitur debitum ei cultum præſtitum non fuiſſe, cum oppoſitum potius, ex S. Gregorio Turonenſi educatur, qui cum refert aliò deindè fuiſſe translatum, quod ad cryptam ipſam, difficilis nimis pateret ingreſſus: profectò indicat Fideles locum impenſius frequentare conſueviſſe, licet loci ejuſdem paterentur incommodum. Quod quidem S. Avitus, æquè Claramontanus Epiſcopus amovit, ut præfatus Gregorius tradit, his verbis: [Hujus Confeſſoris beatum corpus, ab an- „ tiquis in crypta ſepultum fuit; ſed quia arctum erat ædifi- „ cium, ac difficilem habebat ingreſſum: S. Avitus Pontifex „ Urbis, conſtructa in circuitu, miri operis abſida, beatos „ inquiſivit artus, reperitque in capſula, tabulis formata ligneis; „ & juxta morem, ſarchophago clauſit. In hoc loco, & me- „ ritis, & nomine Juſtus requieſcit, qui fuiſſe hujus ſupremi „ Pontificis fertur Archidiaconus.]

S. Gregor. Turon. de Vit. Patr. lib. 2. apud Henſchen. A. SS. ſub die 5. Iunii Tom. 1. pagin. 429. num. 9.

Sed quia dignè, pro merito, Tungrenſes, & Trajectenſes S. Servatium Epiſcopum, qui floruit ſub anno 384. colere viſi non ſunt; præclaro miraculo Omnipotens Deus, ſacrum ejus corpus venerandum edocuit. Rem narrat idemmet S. Gregorius Turonenſis, hoc modo: [Servatius Trajectenſis Epi- „ ſcopus tempore Hunnorum, cum ad irrumpendas prorum- „ perent Gallias, fuiſſe memoratur: qui, & ſepultus refertur „ juxta ipſum pontem aggeris publici: circa ejus ſepulcrum, „ quamvis nix defluxiſſet, nunquam tamen marmor, quod ſu- „ pra erat poſitum humectebat; & cum loca illa nimii frigoris „ gelu ligentur, & nix uſque in trium, & quatuor pedum craſ- „ ſitudinem terram operiat; tumulum ullatenus non attin- „ git &c. Nam plerumque devotio, ſtudiumque fidelium, *Ora-* „ *torium conſtruebant de tabulis ligneis, levigatiſque*; ſed protinus, „ aut rapiebantur à vento, aut ſpontè ruebant. Et credo idcir- „ cò iſta fieri, donec veniret, qui dignam ædificaret fabricam, „ in honorem Antiſtitis glorioſi. Procedente verò tempore „ adveniens in hanc Urbem Monulfus Epiſcopus, Templum „ magnum, in ejus honorem conſtruxit, compoſuit, ornavit-

S. Gregor. Turon. de Glor. Confeſ. cap. 24.

que:

„ que: in quod multo ſtudio, & veneratione translatum corpus, „ magnis virtutibus pollet.]

Baſilicam etiam ſuper corpus S. Maximini Trevirenſis, Epiſcopi, qui ſub anno 349. floruit, conſtructam fuiſſe; hac ratione in illius geſtis, apud Henſchenium narratur. [Ubi er„ go corpus Beatiſſimi fuit poſitum Maximini, *ibi plebs Baſilicam* „ *in honore ipſius ædificavit*.] Inſueto verò portento, S. Marcellini Ebredunenſis Epiſcopi, qui hoc ipſo Quarto Sæculo floruit, tumulum illuſtratum, refert idem Gregorius Turonenſis, cum dicit. [Ad hujus Sancti ſepulcrum lychus aſſiduè lumen præbet; „ ſed accenſus ſemel, multis noctibus, ſine ullo additamento „ perdurat: & plerumque contigit, ut extinctus à vento, Divi„ nitùs iterum accendatur: ex quo oleo plerumque infirmi „ medicamenta ſuſcipiunt.] Ex Vita autem ejuſdem S. Marcellini, apud Bollandianos, & à Bollandianis, Mabillonio, & aliis laudata, quæve ab iis accepta videtur, qui eumdem Sanctiſſimum Epiſcopum cognoverant; non unam tantum, uti cœterorum Sanctorum, atque etiam Martyrum Solemnitatem illius celebrari conſueviſſe, ſed duplicem intelligimus; nam cap. 2. iſta habentur: [His itaque per ordinem, atque in veritate com„ pertis, *Feſtivitatem* ejus, duplici gaudiorum remuneratione „ locupletatam agnovi: nam cum tranſitus ejus die Idium „ Aprilium, pro traſmigratione veraciter excolatur: poſt octo „ dies, ideſt Duodecim. Kal. Majas *depoſitio* venerabilius adim„ pletur. Quod ſi quando Paſcha eſſe contigerit, in his octo „ diebus, Paſchalis lætitia non deerit.] Hæc ibi.

Act. SS. Maii to. 7 ſub die 29. pa. 22. num. 6.

S. Gregor. Turon. de Glor. Confeſ. Cap. 69.

Act. SS. April. tom. 2. ſub die 20. pag. 750.

Ibid. cap. 2. pagin. 555. num. 15.

Sub die decima quarta Julii in Romano Martyrologio, his verbis S. Cyrum Epiſcopum adnotatum reperimus. [Cartha„ ginæ S. Cyri Epiſcopi, in cujus Feſtivitate S. Auguſtinus, de „ eo Sermonem ad Populum habuit.] Circa annum 303., ad ſuperos Cyrus evolavit, eodemque Sæculo Feſtivitatem ejus celebratam, quem diximus S. Auguſtini oſtendit Sermo; de quo Baronius in Notis. [Poſſidius in Indiculo cap. 8. tradit S. Au„ guſtinum, de eo tractatum habuiſſe ad populum.] Sic Baronius.

Sub die 14. Julii.



CAP.

C A P. XI.

Non soli Episcopi, sed cœteri quoque sanctitate præclari, condigna veneratione culti, eodem Quarto Sæculo demonstrantur.

HIs, addendi essent præclarissimus, inter alios, Hilarius Pictaviensis, cujus sepulcrum miraculis inclytum celebrat Gregorius præfatus Turonensis; commemoratque una ei dicatam Basilicam, in qua illius reliquiæ conditæ erant. Claudius Episcopus Viennensis, qui hoc pariter Sæculo floruit, & alii innumeri. Sed ne videremur solis Episcoporum exemplis, Sanctorum, qui Martyres non extiterunt hoc Quarto Sæculo cultum asserere potuisse; illis idcircò, data opera prætermissis, aliorum, qui ejusmodi non fuerunt, rem probandam censuimus.

S.Gregor. Turon. de Glor. Confess. Cap.2.

Act. SS.Bolland. sub die 1. Junii Tom.1.

Sit inter hos primus S. Satyrus, S. Ambrosii germanus Frater, cui Sanctus idem Doctor, ob eximias virtutes, non alium locum, aliudque sepulcrum tribuendum duxit, quàm illud, quod non nisi impertiri, ab Ecclesiæ initio, viris sanctitate, & meritis præclarissimis consuevisse, non semel supra ostendimus. Sacrum igitur Satyri corpus, ad lævam Sanctissimi Martyris Victoris ipse constituit; ut manifestè testatur eidem communi, & Martyris Victoris, & Satyri tumulo, ab eodem inscriptum, quod sequitur Epithaphium.

[Uranio Satyro supremum Frater honorem
„ Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
„ *Hæc meriti merces*, ut sacri sanguinis humor,
„ Finitimas penetrans, adluat exuvias.]

Apud Ioseph. Ant. Sax. in Dissert. Apologet. SS. Gervasii, & Protasii cap.5. pag.104.

At plus meritò faciendum est, hoc eodem Sæculo, nempè circa annum 400., in honorem S.Fortunati Presbyteri, fuisse Deo consacratam Basilicam, in qua sacrum ejusdem corpus reconderetur. Quod quidem Audelagus Presbyter, in ejusdem vita, verbis his narrat: [Spes autem Spoletanæ Diœcesis Antistes, abiit „ cum Sacerdotibus, & Clero suo, & ipsum Sanctum Corpus, „ cum omni diligentia condidere; *&* *in nomine Beati Confes-* „ *soris, ipsam Basilicam consecraverunt*, ubi exuberant beneficia, usque in præsentem diem: cujus Natalis celebratur „ Kal. Junii.]

In Act. SS. apud Bolland. sub die 11. Junii Tom. 1. pagin. 76. num.8.

Ubi defuissent, qui Sanctis, qui Martyres non extitissent, iis in locis, in quibus ipsorum corpora quiescebant, debitum cultum, venerationemque exhiberent: illis subrogatos fuisse alios, & quidem in longinquis, imò longissimè dissitis regio-

nibus constitutos, qui inertiam, oscitantiamque priorum supplerent; Acta ostendunt S. Viventii Presbyteri, qui, vel sub hujus Sæculi initium, sævienteque adhuc Diocletiani Imperatoris persecutione; vel, ut censet Baronius, temporibus Constantii Imperatoris, circa annum 340, floruit), à Bollando his verbis relata: [Transacto post gloriosum ejus obitum quinquennio, volens Dominus servum suum, miraculorum signis propalare in terris, quatenus magis, magisque fides augmentando polleret, misit Angelum suum de Cœlo, qui veniens Antiochiam, cubiculo filiæ Regis (Reguli, videlicet cujuspiam, inquit Bollandus, aut Præfecti), cœlesti lumine referto, ante lectum soporantis, quamquam cœcæ substitit puellæ; vocataque ex nomine, blandis eam alloquitur verbis, inquiens: Juliana surge, & ad Europam ocyus lustratores cum donariis mittens, his, scilicet, *vestimento Sacerdotali*, *Calice*, *Patena*, *& Cimbalo*, jube nullatenus cessari, donec inveniatur Sancti Polliandrum, (nempè Cœmeterium, (inquit Bollandus) Viventii, *quod etiam super ædificetur Oratorium*, *in nomine Jesu Christi*: datisque inibi prædictis xeniis, statim amissum recipies lumen vitæ præsentis, & si indubitanter credideris, lumine perpetuo non carebis.] Quod quidem factum fuisse, ac in super ædificato, supra Sancti tumulum Otatorio, plura insuper alia patrata miracula, ibidem narratur.

Act. SS. sub die 13. Januar. Vit. Cap. 7. pag. 81. num. 7. Baron. in Not. ad diem 13. Januar.

Boll. ut sup. Not. in Marg.

Paperbrochius autem, qui, alias laudato Josepho Antonio Saxio teste, nimis elati animi maculam, S. Ambrosio inspergi judicavit, si parem sibi tumulum, ut retulimus, cum Sanctis Martyribus Gervasio, & Protasio, destinasset; quid, (si quidem superstes esset), de S. Philippo Agyrione censendum putaret, qui adhuc vivens, Basilicam construi divinitùs jussit, in eaque sibi, & socio Eusebio parari sepulcra, in quibus eorum corpora conderentur, imperavit? Et tamen, in eodem opere, quod cum eo simul Godefridus Henschenius elaboravit, ex Græco latinitati donata, à percelebri Jacobo Sirmundo, ejusdem Sancti Philippi vita, ista differtè narrantur. [Cœterum ille (Philippus), post Deo placitam vitam, & omnia, quæ dixi miracula, quadraginta diebus ante obitum suum, apparuit uni, ex optimatibus regionis, nomine Belisario: assumensque pueros ejus, venit ad Agyrium locum, & ostendit ei in somnis delineationem Ecclesiæ, instar Crucis extruendæ: ædificavit autem, & thecas duas, superiorem quidem Eusebio Monacho, qui ejus vitam scripsit, & miracula: inferiorem verò sacris ejus reliquiis. Ædificavit idem Belisarius sacrum ejus Tem-

Io. Ant. Sax. in Dissertat. Apologet. ut sup. p. 120.

Act. SS. Maii to. 3. sub die 12. pag. 39. Vit. Cap. 3. n. 32.

„ Templum, quadraginta enim diebus ante ejus obitum peregit quadragenarias ejus diei inferias, & perfolutis Divinis „ Myfteriis, procumbens Sanctus ad fepulcrum fuum, aperiens „ os fuum dixit: Hæc requies mea in fæculum fæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et fic obdormivit in Domino: „ Ut autem, poft ejus obitum, Dei famulus fontes curationum „ funderet, ad facram ejus thecam accedens &c.] Sub Arcadio Imperatore, circa annum 396. obiiffe tradunt Philippum, qui idcircò ante annum, ab Ambrofio, qui anno 397., ex hac vita migravit, ad Cœlos evolavit.

Quem memoravimus demùm Paperbrochius, agens de S. Ifaccio Abbate, qui fub anno 383. floruit, hæc habet. [Cives autem univerfi, ad obitum ejus concurrerant, & ad tumulum ufque funt eum comitati, *ac fanctas ejus, & pretiofas „ reliquias, in Æde S. Stephani Protomartyris, in facro Altari „ collocarunt*.]

Act. SS. Maii Tom. 7. fub die 30 pag. 260. num. 8.

C A P. XII.

Sanctis Virginibus, ac Mulieribus, præfato Sæculo veneratio, ac cultus in Occidentali Ecclefia cumulatiffimè exhibitus.

SAnctas quoque Mulieres, non minus quàm Orientalis (ut vidimus), hoc eodem Quarto Sæculo Occidentalis Ecclefia, debito cultu, ac veneratione profequuta eft. Percelebris, inter eas fuit, S. Romana Virgo Tuderti, de qua, apud Bollandum, hæc referuntur: [Sepultum eft illic, (nempè in „ fpelunca, in qua diem extremum clauferat), à Parentibus, „ eorumque famulitio, ac binis illis Sacerdotibus, magna reli„ gione, ac honorificentia corpus Virgineum. Permanfere „ deinceps longo tempore in eàdem fpecu Sacerdotes iidem, „ aramque inftruxerunt, ut facrificium in ea immolarent, & „ alias religiofas functiones obirent &c.] Vixit Romana, circa annum 324.

Act. SS. Februar. tom. 3. fub die 23. §. 1. num. 8.

Circa annum verò 390. ex hac vita migravit S. Vitalina Virgo, de qua hæc S. Gregorius Turonenfis monumentis tradidit. [Ad *ejus* Beatus Martinus tumulum veniens, dedit falutatio„ nem: & illa, ut fibi dignaretur benedicere, flagitavit. Poft„ quam autem expleverunt orationem, converfus Vir Beatus „ dic, ait, Sanctiffima Virgo, jam Domini præfentiam meruifti?

D. Gregor. Turon. lib. 7. Glor. Confeff Cap. 5.

„ Quæ ait: reſtitit mihi una cauſa, quæ facilis in ſæculo vi-
„ debatur. Sexta enim Feria, qua Redemptorem paſſum no-
„ vimus, aquis ablui caput. Recedens autem Beatus Confeſſor
„ à tumulo Virginis, ait ſuis: Veh nobis, qui in hoc mundo ver-
„ ſamur; ſi hæc Virgo Chriſti ſacrata, hinc offendiculum
„ meruit, quod Sexta Feria abluit caput: quid nos faciemus,
„ quos quotidiè fallax ſæculum peccare perſuadet?] Et poſt nonnulla, de eodem S. Martino, qui ad locum ubi S. Vitalinæ corpus conditum erat, rurſus reverſus eſt: [Poſt hæc (ſubjun-
„ git Gregorius), accedens ad tumulum Virginis ait; Gau-
„ de nunc Vitalina, ſoror beatiſſima, poſt triduum enim Ma-
„ jeſtati Dominicæ præſentaberis. Et diſceſſit ab eo loco. Poſt
„ hæc multis, per viſum Virgo oſtenſa eſt, & beneficia petita
„ præbuit, & *diem obitus ſui, in quo commemoratio ejus celebrare-*
„ *tur edixit*.] Et paulò inferius. [Quodam autem tempore,
„ *celebratis in ejus honorem Vigiliis*, cum Archipresbyter lo-
„ ci Eulalius, Clericos convivio invitaſſet, Edatius verò alius
„ Presbyter, viduis, ac pauperibus reliquis edulium præpa-
„ raret; & uni piſces deeſſent, alteri vinum bonum: commo-
„ nitus piſcator quidam, per viſum à Virgine eſt, ut Archi-
„ presbytero piſcium copiam deferret. Surrexitque è lectulo,
„ invenitque immanem eſocem inlapſum ſuum, quem, ubi juſ-
„ ſus fuit, exhibuit. Edatio autem Presbytero apparuit ſimi-
„ liter per viſum, dicens; Vade, & ſub una arbore atrii, in-
„ venies unum trientem; ipſum donans, vinum dignum epulis
„ pauperum comparabis. At ille, nulli, quæ viderat, narravit;
„ abiit, inquiſivit, & reperit; cœmptoque vino pauperes Chri-
„ ſti refecit: Sicque virtus Virginis utrique apparens, de ſpe-
„ ciebus, quæ minus erant, utroque loco plantavit.] Hæc Gregorius.

Eamdem verò venerationem, quæ Sanctis Virginibus data eſt, exhibitam quoque hoc Sæculo fuiſſe Sanctis aliis Mulieribus, præ aliis ea oſtendunt, quæ de S. Maxentia Vidua, ac Sanctorum Vigilii Epiſcopi Tridentini, & Martyris, & Fratrum ejus Claudiani, & Magoriani Matre, apud Bollandianos referun-
Act. SS. April. Tom. 3. ſub die 30. pag. 773. num. 3. tur, his verbis: [Felix autem horum, (præfatorum nempè
„ Sanctorum) Mater Maxentia, in Pago, qui dicitur Maja-
„ num, juxta lacum Toblini, ſibi condens habitaculum, Deo
„ in omnibus bonis operibus ſerviebat, virtutibus etiam, ac
„ virtutibus clara, Pridiè Kal. Maii in Dei magnificentiam
„ tranſivit: ubi cum Beatis Filiis ſuis, Filium Dei, in decore
„ ſuo cernit. *Fideles autem, in eodem pago Eccleſiam conſtruentes,*
„ *Sanctæ corpus Maxentiæ inibì ſepelierunt; ubi uſque ad tempora*
„ *Venerabilis Altimanni &c.*]

Quar-

Quarto Sæculo exeunte, Maxentiam, ad superos evolasse, Bollandiani censent; at, sub ejusdem initium, nempè sub anno 311. qui Constantini Magni quintus erat, felicissimum obitum S. Sabinæ Viduæ, Trissinus, contigisse, apud eosdem putat. Qui, nimirum, de illa hæc scribunt. [Ipsa quoque tan-
„ dem Sabina, dum jejuniis, vigiliis, precibus assiduè ad San-
„ ctorum Martyrum (Naboris, & Felicis) conditorium vacat;
„ eodem ipso loco, ad ipsos emigrat, atque in eadem æde tu-
„ mulata est.] Ea videlicet, ratione, qua, ut supra pluries ostendimus, & vidimus, qui præclarissimi virtutibus, & sanctitate extitissent, juxta, & supparem cum Sanctis Martyribus sepulcrum, & cultum consequi merebantur.

Act. SS. Ianuar. Tom. 2. sub die 30. pag 130. num. 11.

C A P. XIII.

Quinto Sæculo Sanctorum non Martyrum Reliquiæ, sepulcra, Memoriæ; Aris, Basilicis, Natalitiis exornatæ.

SÆculo Quinto eadem, ac in prioribus, erga Sanctos, qui Martyres non fuissent, veneratio fidelium, ac cultus: Basilicæ, videlicet, in eorum honorem erectæ, Natalitia celebrata, visitata sepulcra, ac quæcumque res, quæ, vel viventibus, vel mortuis iis usui fuisset, vel eos tetigisset, pro reliquiis habitæ. Eorum tumuli velis ornati, lampadibus, ac luminibus illustrati, ac frequentissimo populorum concursu culti. [Sanctum illud
„ corpus, (de S. Honorato Arelatensi Episcopo, qui obiit cir-
„ ca annum 437. in ejusdem vita scribit item Episcopus Arela-
„ tensis Sanctus Hilarius), magna fidei ambitione vestitum est,
„ majore fide postmodum, dum sepulcro admovetur, pœnè
„ nudatum. Nec enim pepercit sanctificatis amictu suo palliis
„ fides, quæ pretiosissimi muneris loco habuit, aliquam, de
„ velaminibus illius fimbriam decerpsisse &c. Quem enim illa
„ die sua tecta tenuerunt? &c. Nec parum fiduciæ dat sepulcri
„ sui gratia: nam cujus hæc ossa condidimus, in Cœlo utique
„ patrocinia præsumimus.] Et Cap. VIII. eumdem S. Honoratum alloquens, ejusque populum ad ejus intercessionem confugientem exhibens: [Profusas (inquit) ad sepulcrum tuum
„ alumni gregis preces, profer; impetra, ut conspiratione
„ communi, simul Sacerdos, & populus, quæ jussisti, quæque
„ docuisti aliquando obtinere mereamur &c.]

Baron. in Not. ad diem 16. Ianuar. Act. SS. Tom. 2. Ianuar. sub die 16. Vita à S. Hilario scripta Cap. 7. pagin. 23.

Eadem fere, de S. Germano Antisidiorensi Episcopo, qui Ra-

Ravennæ, circa annum 450. diem clausit extremum, narrat in illius vita ad Patientem Episcopum scripta, apud Mombritium Constantius. [Septimo, (inquit) incommodi die
Apud Mombrit. Tom. 1. pag. 325.
,, ad Cœlos felix anima, & beata transfertur. Hæreditas deinde relicta, dividitur. Partem præsumpsit imperium, partem vindicant Sacerdotes; &, quod fieri de opibus solet, enascitur de exiguitate contentio: dum deest, quod capiant, solius benedictionis hæredes. Capsellam, cum Sanctis, Regina (Placidia Augusta) suscepit. Cucullam cum interiori cilicio, Petrus Episcopus usurpavit. Sex verò Antistites, aut aliquid monimenti, ex successione sanctitatis accipere, & disrumpere, quod superfuerat, maluerunt. Unus palium alter Evangelium accipit; Duo tunicam, duo saculum diviserunt &c.]

His autem multò ampliora sunt, quæ de Sancto Amatore æquè Antissidiorensi Episcopo, qui sub anno circiter 418. floruit, monumentis tradita Godefridus Henschenius adnotavit:
Act. SS. Maii to. 1. sub. die 1. pag. 50.
[Celebris est, inquiens, hujus Sancti memoria, in omnibus ferè sacris fastis, Latinis, quorum primum locum obtinent antiqui Martyrologii Hieronymiani apographa, ex quibus Epternacense, ante nongentos, aut plures annos exaratum ista adjuncta habet; [Antissiodoro Civitate, Amatoris Episcopi.] Quæ in Lucensi, & Blumiano latius hoc modo explicantur. [In Gallia Civitate Antissiodoro, depositio S. Amatoris Episcopi.] Sed, præ hisce fastis, antiquum venerationis Ecclesiasticæ testimonium exhibet Basilica Antissiodorensis, ad ejus honorem, & cultum erecta. Extat Historia Episcoporum Antissiodorensium, à Philippo Labbè, ex antiquis Mss. eruta, & Tom. 1. novæ Bibliothecæ ejus edita, in qua, ad Acta S. Aunarii, (qui Ecclesiæ Antissiodorensi præfuit Episcopus, circa annum 580.) indicantur Litaniæ, ab eo constitutæ, per duodecim mensium capita celebrandæ hoc ordine: [Kalendis Januarii, Basilica Domini Germani, Kalendis Februarii, Basilica Domini Amatoris. Kalendis Martii, Monasterium Domini Martini.] Idem S. Aunarius constituit, à quibus Vigiliæ in Basilica S. Stephani, cum Abbatibus celebrarentur, singulis diebus, hoc modo: [Dominica nocte, Basilica Domini Germani, & Monasterium Decimiacense; Secunda feria, Basilica Domini Amatoris, & Monasterium Fontanense &c.] Hactenus Henschenius.

Eodem Sancto Aunario jubente, Stephanus Africanus, S. Amatoris vitam conscripsit, ut i de ipso, ac S. Germano altero Antissiodorensi Episcopo, qui, juxta Baronium, hoc ipso Sæcu-

Sæculo, ſub anno, ut diximus) 450. extremum diem clauſit, agens ſic loquitur. [Inſiſte ergo (Antiſſiodorenſis Civitas), „ frequens Sacratiſſimis tumulis, & officium grata mente ex- „ ſolve, quæ meruiſti, tantis, ac talibus titulis exornari. Illic „ die noctuque ſinceri cordis excubias celebra, ubi multifariæ „ ſanitatum formæ, evidentius declarantur &c.]

Baron. in Not. ad diem 6. Iulii. Act. SS. apud Bolland. Vit. Cap. 5. pag. 19. num. 33.

Eodem anno quadragintesimo quinquagesimo, quo S. Germanus Antiſſiodorenſis, obiit, è vivis exceſſit S. Petrus Chriſologus Archiepiſcopus Ravennas, doctrina, & Sanctitate præclariſſimus: [Et Sacrum illius corpus, (ut legitur in ejus vi- „ ta, à Dominico Mita, ex antiquis monumentis, probatiſſi- „ miſque Scriptoribus collecta), incredibili omnium dolore, „ ac pietate maxima, à S. Projecto ipſius Forocornelii Epiſco- „ po, ut ajunt, & Coepiſcopis Provincialibus, de more, atque „ S. Donato Cornelienſi Diacono primario, *propè Corpus, &* „ *Aram S. Caſſiani, juxta electionem ejus, venerabili ſepulcro, ſe-* „ *quenti die poſt ſedem ipſius Eccleſiæ conditum fuit. Cui, omnium* „ *conſenſu, inter Divos relato, anniverſarii honores, in teſtimonium* „ *vitæ piè, ſanctèque tranſactæ, eadem depoſitionis die fuere de-* „ *creti*. Et poſt quinquennium, extincto jam, Dei gratia Athi- „ lano furore, qui diù vaſtaverat Italiam, tumulo ſumptuosè „ magis eodem in loco fuit condecoratus,] Sic ibi.

Dominic. Mit. in Vit. S. Petri Chriſolog. eius operib. prepoſit. pag. 13. num. 28.

Hoc ipſo Sæculo, circa annum, nempe 460. S. Turibius Aſturicenſis Epiſcopus floruit, de quo, ex antiquo Mſs. Codice Legendarii Aſturicenſis, litteris pœne Gothicis exarato, hæc profert, in ejus Natalitia ſolemnitate recitata, Gothifredus Henſchenius laudum præconia: [In Sancti, ac Beatiſſimi Viri Tu- „ ribii Epiſcopi, Fratres chariſſimi *natalitio die*, univerſa no- „ biſcum lætetur Eccleſia Chriſti, quam per omnem mundum, „ & Cœleſtis prædicatio Apoſtolici ſermonis inſtruxit, & mu- „ nere ſalutiferæ doctrinæ decoravit. Fuit enim in hoc San- „ ctiſſimo viro, *cujus diem veneramur*, & contra errores Dia- „ boli &c. *Hodie, Fratres Chariſſimi B. Turibii Confeſſoris Chriſti* „ *annuum Feſtum, debitis officiis honoremus*, & Chriſtum Regem „ devotis animis collaudemus, qui illum in præſenti ſæculo „ ſuſcitavit, excellentia, & Sacerdotali dignitate decoravit, „ *& in Cœlis hodie* inter Angelicos Choros, æternæ beatitudinis „ gaudio ſublimavit. Hodie B. Turibius Pontifex migravit fe- „ liciter à ſæculo, & à ſupernæ patriæ civibus honorabiliter re- „ ceptus eſt, atque à Domino Jeſu Chriſto Rege, Cœlorum cla- „ riſſimam ſidereæ Regionis manſionem, cum ineffabili gaudio „ recipere meruit.]

Act. SS. ſub die 16. April. pag. 412. num. 1.

Ubi verò defuiſſent, qui Sanctis hujuſmodi, debitum prebe-

berent honorem; ad eum exhibendum divinitùs, imò per ipsos Dœmones, omnipotens Deus excitari eos voluit, & admoneri. Quod quidem in S. Solemni Episcopo Carnutensi, qui à Sigeberto in Cronico, sub anno 490. ponitur, accidisse reperimus. De illo autem hæc habet S. Gregorius Turonensis: [Ferunt, „ quod in eo loco (apud nempè Milliacense Monasterium) cum „ crypta adhuc haberetur occulta, & nulli Christianorum lo- „ cus ille esset revelatus; per singulas Dominicarum solemni- „ tatum noctes, ab habitatoribus lumen cernebatur accensum; „ sed nullus sciebat, quid sibi hoc vellet mysterium: tantum „ suspicio retinebat homines, aliquid ibidem retineri Divinum. „ Interea advenerunt duo Energumeni, ex Basilica S. Martini, „ qui conlisis in se palmis, clamare cœperunt, dicentes: *Hic* „ *requiescit Solemnis beatissimus, in crypta abdita: Referate igitur* „ *sepulcrum amici Dei. Quod cum repereritis, velis tegite, lumen* „ *accendite, cultumque debitum ei exhibete*. Erit regioni huic sa- „ lubre, si quæ loquimur, adimpleveritis; & hæc dicentes, cum „ clamore magno effodere tellurem ungulis nitebantur. Tunc „ videntes incolæ, quæ gerebantur, accepto sarculo effodien- „ tes, aperuerunt cryptam, in qua per seriem graduum de- „ scendentes, *repererunt sepulcrum magnum*, de quo testaban- „ tur, illi, adhuc mente infirmi, hoc esse sepulcrum Solemnis „ beatissimi, qui mox sensu decesserunt recepto.]

Sigibert. in Chronic. S. Gregor. Turon. de Glor. Confess. Cap. 21.

Angelus, è contra lucis, magnum illum Hibernorum Apostolum S. Patritium, qui sub anno 491. diem clausit extremum; quid de illius sepultura, deque ejus Natalitiis futurum esset, (ut habet Probus ipsius vitæ Scriptor, apud Ven. Bedam), his verbis admonuit. [Revertere ad locum, unde venis, hoc est ad Sabul. Illic enim morieris, nec Armachæ adhibis; undè præmoneo „ te, ut Domino Deo tuo gratias referas, quia datæ sunt tibi „ petitiones, quas petisti. Prima petitio est, ut in tota Hiber- „ nia fiat à Domino salutis præstatio, de meritis tuis. Secun- „ da petitio tua, *ut quicumque Hymnum, qui de te compositus est*, „ *in die Natalis tui decantaverit, tu ejus pœnitentiam de peccatis* „ *suis suscipias. Tertia petitio est, ut qui tui memoriam benignè ce-* „ *lebraverint, misericordiam Dei mereantur, ut non pereant in fu-* „ *turo*.] Et inferius. [Porro, ut ad superiora redeamus, quan- „ do Angelus ad eum venit, & de sepultura sua ei prædixit, hæc „ quoque, inter alia, subjunxit: Eligantur duo boves indo- „ miti, & pergant quocumque voluerint in plaustro portantes „ corpus tuum; & *ubicumque requieverint, illic Ecclesia, in ho-* „ *norem corpusculi tui ædificetur*. Factum est ergo secundum præ- „ ceptum Angeli, & electi sunt duo boves indomiti, & plau-

Vit S. Patritii Beda Oper. to. 3. pag. 332. & seq.

strum

„ strum cum gestamine corporis ejus impositum est eis; & a lo-
„ co, qui Cloch vocatur, exierunt, Dei nutu regente, & ad
„ eum locum ubi sepultus est S. Patricius pervenere. Apparuit
„ autem Angelus Domini omnibus, qui ad sepulturam ejus
„ convenerant, & dixit ejus. Videte, ne reliquia hujus San-
„ ctissimi Viri, à terra vobis furtim auferatur; & ideò profun-
„ ditate unius cubiti in terra, ejus corpus obruatur: quod qui-
„ dem, Dei jussu necessariò factum, postea demonstratum est.
„ *Nam in novissimis temporibus, cum Ecclesia super corpus ejus ædi-*
„ *ficaretur, homines humum fodientes, ignem de Sepulcro ejus exur-*
„ *gere viderunt*; quo timore perterriti, fodere desierunt, ac re-
„ cedentes ab hac intentione, majori veneratione memoriam
„ ejus celebrare cœperunt.] Hæc Probus, ut diximus apud Bedam. Percelebris fuit etiam in honorem S. Viviani, vel Bibiani Santonensis Episcopj, qui circa annum 490. è vivis excessit, ædificata Basilica, nam de illa Venantius Fortunatus carmen conscripsit, cujus est exordium.

Apud Baron. in Not. ad diem 28. August.

[Digna Sacerdotis Bibiani Templa coruscant;
Quæ, si justa petis, dat pia vota fides.]

Sed, præ Sanctis cunctis, qui Martyres non extitissent, & quidem, sub hujus Sæculi initium, erga S. Martinum Turonensem Episcopum, qui ex hac vita, sub anno 402. migravit; (cuique dicatam Basilicam, à Gregorio Turonensi jam audistis), totius Ecclesiæ veneratio, ac exhibitus cultus enituit. Res ejus præclarè gestas, commentario de vita ipsius, tribus libris Dialogorum Sulpicius Severus complexus est. At S. Paulinus Nolanus, ejusdem Acta est carmine prosequutus, & eà quidem ratione, qua S. Felicis Martyris gesta cecinit. De quo Opere Martius Milesius: [Vitam, (inquit) S. Felicis, carmine scripsit
„ S. Paulinus Episcopus Nolanus, in decem Natalibus.] De Vita S. Martini, verò, ab eodem exarata, ista habet Venantius Fortunatus, qui Sexto Sæculo floruit, in ejusdem S. Martini, quam pariter exaravit vita.

Mart. Miles. in Not. ad Carmen. VI. S. Damasi pagin. 105.

[Stemmate, corde, fide pollens Paulinus, & arte,
Versibus explicuit Martini dogma magistri.]

Uti verò S. Felicis vitam cecinit Paulinus in Natalitiis ipsius; sic pariter in S. Martini Natalitiis, ejusdem Sanctissimi Episcopi, juxta illorum temporum morem cecinisse, ambigi non debere videtur. Hoc siquidem Sæculo Quinto, non unam modo, sed plures etiam ipsiusmet S. Martini Solemnitates, quotannis celebratas fuisse, apertissimè probat, ex Concilio primo Turonensi, sub anno 461. celebrato, Cardinalis Baronius, his verbis. [Non omittendum, quod hoc ipso mense, (Novembris)

Baron. in Not. ad Martyr. ad diem 11. Novemb.

„ Decimaquarta die, de eodem Sancto agebatur alia Solemnitas; *Receptio S. Martini* dicta; ut constat ex primo Concilio „ Turonensi, in cujus exordio, hæc leguntur. [Severo V.C. „ Consule, sub die XVIII. Kal. Decemb., cum ad Sacratissimam Festivitatem, qua Domini Martini receptio celebra- „ tur &c.] Sic ille.

Obtinuit hoc eodem Sæculo, quo S. Martinus ad Cœlum evolavit, circa annum 490.ejus Turonensem Cathedram S.Perpetuus, de quo ista habentur, apud Bollandum, ubi de Vigiliis,& jejuniis, ab eo institutis agitur. [*A' depositione Domini Martini*, „ usque Natale Domini, terna in septimana jejunia. *De Natali* „ *S. Hilarii*, usque medium Februarium, bina in septimana je- „ junia. De vigiliis. Natale *S. Joannis*, *ad Basilicam Domini* „ *Martini*. Resurrectione Domini nostri Jesu Christi, *ad Basili-* „ *cam Domini Martini*. Die Ascensionis, *in Basilica Domini Mar-* „ *tini*. *Natali S. Martini*, *ad ejus Basilicam*. Natali S. Simpho- „ riani, *ad Basilicam Domini Martini*. Natali S.Lidori, ad ejus „ Basilicam. Natali S. Hilarii, *ad Domini Martini Basilicam*.]

Act.SS. sub die 8. April.pag.750. num. 8.

Sicut verò, non unam tantum, sed plures habuit, ut diximus, S. Martinus Solemnitates; sic non unam tantum ipsum hoc Sæculo,in Turonica Urbe Basilicam, in qua sacrum ejus corpus requiescebat, sed plures alibi etiam obtinuisse; præter ea, quæ à S.Gregorio Turonensi, elici possunt, illa demonstrant, quæ de S.Innocentio Episcopo Cenomanensi narrantur; de quo inter cœtera dicitur: [Aliud quoque *Oratorium ibi in honore* „ *S. Martini consecravit &c.*] Cenomanensis autem Episcopus S.Innocentius, sub anno 496. ordinatus fuit. Imò de S.Severo Episcopo Neapolitano, qui hoc ipso tempore floruit, hæc legimus. Hic fecit Basilicas quatuor. Nam, & corpus B. Januarii &c.Unam foris Urbem juxta S.Fortunatum (Confessorem „ Neapolit. Episcopum); & *fecit duo Monasteria S.Martini Chri-* „ *sti Confessoris*, & aliud S. Potiti.]

Act. SS. in Chronolog.Episc.Cenomanens. sub die 10. Iunii juxta edit. Mabill. pagin.860.

Act. SS. sub die 30. April.Tom.3. pag.769. ex Mss. & Vghel pa. 769. num.6.

Quid plura? In ipsa Urbe Roma, hoc eodem Sæculo Quinto S. Martinum insignem Basilicam obtinuisse, disertè asserit Anastasius Bibliothecarius, in Simacho, qui ad Apostolicam Sedem, sub anno 499. evectus fuit, his verbis. [Hic intra Ci- „ vitatem Romanam, *Basilicam Sanctorum Silvestri, & Marti-* „ *ni, à fundamentis construxit*; ubi, & super Altare Ciborium „ argenteum fecit]. Quod Sancti Silvestri nomine dicata hæc Basilica fuerit, mirandum non est, quod diù ante amplissimum ipse cultum obtinuisset; sed S. Martini etiam nomine, plurimi faciendum est, indicatque Sanctissimi Episcopi venerationem hoc tempore, longè, latèque toto orbe diffusam.

Anastas. Biblioth. in Simach.

Et

Et id quidem confirmat præclarum aliud, inter Quintum hoc, ac Sextum Sæculum, rei hujus exemplum. Eremum petiisse S. Benedictum Abbatem, anno à Christo Domino 499., ostendit Baronius. Haud diu post, de eodem S. Benedicto, ista narrat S. Gregorius Magnus, uti etiam in Romano Breviario habetur, quod: [Casinum migravit, ubi Simulacrum Apol- „ linis comminuit, aram evertit, & lucos succendit; ibique „ *S. Martini Sacellum extruxit*.] Falsi numinis cultui, veri Dei cultum substituere voluit S. Benedictus; idque se cumulatissimè præstitisse censuit, cum, videlicet, eidem vero Deo, in honorem S.Martini Sacellum ædificavit.

Baron. in Not. ad diem 21. Martii.

S.Gregor. Magn. Dialog. lib.2. C.9.

Missale, quod vocant Gothicum demùm, à Museo Presbytero, hoc eodem sæculo, circa annum 460. compositum fuisse, aliquis putavit. Illud Joannes Mabillonus, in libro de Liturgia Gallicana edidit. In eo autem pag. 290. num. 74. offenditur: [*Missa S. Martini Episcopi*.] Ex qua intelligitur, sanctissimo eidem Antistiti hoc tempore, omnimodum cultum præstitum fuisse. Quod quidem comprobare ea videntur, quæ haud immerito Cardinalis Bona adnotavit. Recedit siquidem ille, à Cardinalis Baronii sententia, qui, nimirum, primum Mozarabi Ritus Auctorem Isidorum Hispalensem extitisse, sub anno 633. existimavit, scribens. [Mihi autem, ne huic sententiæ, statim „ adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. „ Nam primò in Missa S. Martini, in Oratione post nomina, „ ista leguntur. [Hunc Virum, *quem ætatis nostræ tempora prætulerunt*, jubeas auxilium nostris ferre temporibus.] Marti- „ nus verò obiit anno Domini 402. Ergo multò ante Isidorum „ hec Missa conscripta fuit.] Sic ille:

Card. Bona Rer. lit. gicar. lib. 1. cap.11. pag.63.

C A P. XIV.

Ex eodem Missali, quod vocant Gothico, Natalitia Sanctorum Confessorum hoc Quinto Sæculo, celebrata comprobantur.

SIcut verò, ex paulò ante allato Jejuniorum, ac Vigiliarum elencho, hoc Sæculo à S. Perpetuo Turonensi Episcopo edito, didicimus, præter ea S. Martini, alia quoque S. Hilarii Pictaviensium Episcopi, & S. Bricii Episcopi Turonensis, & Sancti Martini Discipuli, & successoris, (de quo Gregorius item Turonensis Episcopus referi, quod [Ædificavit Basilicam parvu- „ lam super corpus S. Martini, in qua, & ipse sepultus est.]

S.Gregor. Turon. Histor. Francor. lib.10. cap.31.

Natalitia celebrata fuisse; ita, ex præfato Missali, quod dicunt, Gothico, intelligimus, passim eo tempore, & hujus, vel alterius, & plurium simul Sanctorum, qui Martyres non extitissent, Solemnitates fuisse celebratas: nam in eo legitur: [Missa „ unius Confessoris,] ac inter ejusdem Missæ plures Collectas, hæc habetur: [Lætificet nos, quæsumus Domine sancti Confes- „ soris tui, & Episcopi Ill. *annua devotionis repetita Solemnitas*, „ ut per hæc &c.] Ex quibus verbis intelligimus quotannis Solemnitates Sanctorum hujusmodi, uti illas SS. Martyrum hoc Sæculo agi consuevisse. In eodem Missali legitur: [Immola- „ tio Missæ], quam, videlicet nostræ Præfationi respondere perspicuum est. In ea autem disertè describuntur Sancti in quorum Solemnitatibus recitabatur, nam dicit: [Domine San- „ cte Pater, Omnipotens Eterne Deus.] Qui glorificaris in con- „ fessione Sanctorum, & *non solum excellentioribus præmiis Mar-* „ *tyrum tuorum merita gloriosa prosequeris: sed etiam sacrum mini-* „ *sterium competentibus servitiis exequentes, gaudium Domini sui* „ *tribuis benignus intrare*: ut qui in modico, hoc est, in par- „ vo vitæ præsentis excursu fidelis apparuit, supra multa bo- „ na, utique in sempiternum mansura beatitudine disponatur. Per Christum Dominum nostrum.]

Apud Mabil. de Liturg. Gallic. pag. 283. num. 72.

Ibid. ut supra.

Ibidem legitur: [Missa de plurib. Confess.] Cujus Collecta hujusmodi est. [Adsit nobis Domine quæsumus præcatio „ sancta justorum, quæ nos à terrenis affectibus incessabiliter „ expeditos, cœlestia desiderare perficiat. Per &c.] Immo- „ latio autem Missæ sives Præfatio hujusmodi est: [Verè di- „ gnum, & justum est &c. *Qui non solum Martyrum, sed etiam* „ *Confessorum tuorum es virtute mirabilis; licet enim illi passione sint* „ *clari, qui manifestè * supplicia sustinuerunt tormenta, etiam* „ *isti tamen occultè* proposito castigationis afflicti, cruciati spiritualis observantiæ disciplinis, illorum sunt vestigia subsecuti. „ Per Christum Dominum nostrum &c.] Sic ibi.

Ibid. ut supra.

Ibidem ut supra.

* *acerba*

Et hæc quidem, non solum hoc Sæculo amplissimum Sanctis, qui Martyres non fuissent, exhibitum probant cultum; sed rationem etiam producunt, ob quam eis meritò deferretur: quæ absque dubio, non hoc tantum Sæculo militavit, sed superioribus etiam, quibus, nec fideles omnes sancti Martyres evaserunt; nec præter Martyres Ecclesiam Sanctos non habuisse censendum est, quos una cum sanctis Martyribus, ob insignia merita, digno cultu, venerationeque prosequeretur.

Joannes Mabillonus, quem Sanctorum hujusmodi cultui infestum supra notavimus; ex quodam tamen, licet à se confícto Kalendario Cartaginensi coactus; ab eo ad suam sententiam affe-

asserendam eliciendum putavit: [In Africana Ecclesia etiam „ Sæculo Quinto, paucis admodum Confessoribus honorē cultus „ fuisse tributum.] Negare cultum Sanctorum hoc Sæculo non potuit; quantum valuit imminuit, & nihilominus asseruit.

Mabill. Sæcul. V. Act. SS. Ordin. S. Benedict. pagin. 64.

C A P. XV.

Veneratio eadem Sanctis, nec Martyribus, nec Pontificibus, nec non Virginibus, & Mulieribus, in Latina Ecclesia, ipso Quinto Sæculo præstita, monstratur.

QUos hucùsque Sanctos recoluimus, non Martyres, quibus veneratio exhibita Sæculo Quinto fuit; Episcopali fuerunt munere insigniti. At præter eos, alii quoque extiterunt, qui egregiarum virtutum merito, eumdem honorem in Ecclesia adepti sunt, quorum aliquos, ex instituto, recensere non piageat.

Summa religione frequentatum S. Marii Abbatis, qui hoc sæculo floruit sepulcrum; ex S. Gregorio Turonensi, apud Bollandianos legimus, qui de sacro ejusdem corpore agentes, scribunt. [Dehinc, cum summo honore ablutus, dignisque ve„ stimentis indutus, infra Oratorium Monasterii est sepultus. „ Quod autem beatus tumulus, Divinis virtutibus illustretur, „ ipsa quæ assistit caterva, poterit contestari: quæ cum infir„ mos mittit ad tumulùm, extemplò incolumes domum re„ mittit &c.]

S. Gregor. Turon. Vit. Patr. apud Boll. Act. SS. sub die 13. April.

In eorumdem etiam Sanctorum honorem, Deo passim hoc tempore dicatas fuisse Basilicas, ostendunt quæ subjicimus, ex ipsismet Bollandianis mutuata exempla: nam referunt, de Sancto Bevignate Monacho, & Eremita Perusiæ, quæ sequuntur: [Fuit autem corpus (Sancti Bevignatis), cum debita venera„ tione depositum in dicto tugurio, sive Eremitorio, ubi San„ ctus in magna pœnitentia vixerat, ejusque anima, à Deo „ fuerat recepta: quo in loco ad *ejus honorem postmodum Peru„ sini Ecclesiam ædificarunt*.]

Act. SS. Maii to 3 sub. die 14. pagin. 370.

Ne autem illud *postmodum*, quis latius exponens, uti Sancto Bevignati, sic ejusdem speciei Sanctis aliis dicatas hoc sæculo Basilicas non fuisse existimet, ; prohibent, quæ de Sancto Ampelio, pariter Eremita, qui hoc etiam Quinto Sæculo floruit, apud

Act. SS. May Tom.3.sub die 14. Vit.cap.1.nu.10.

apud Henschenium his verbis narrantur: [Cujus (S. Ampelii) „ gloriosum corpus, incolæ regionis illius, (nempe Genuæ), „ devoti, moribusque religiosi, qualis vitæ vir Domini fuit „ memores; *in quadam satis nobili Ecclesia, quam ibidem, sub „ ejus vocabulo quantocyus ædificaverunt, juxta honorem debitum „ honorificè tumularunt &c.*]

Act. SS. Maii Tom 6.sub die 25. pag.73. num.9.

Idem quoque Henschenius, de Sancto Senzio Presbytero, & Confessore, qui etiam hoc Sæculo vixit, ex Mss. Basilicæ Lateranensis, & aliis, hæc profert. [Jubente Domino nostro Jesu „ Christo, in pace, vitæ munus implevit, sub die Octava Ka- „ lendas Junias; sepulcro traditus à viris timoratis, & à *qui- „ busdam Basilica constructa est*, in qua virtutes multas, & bene- „ ficia multa operatur, usque in hodiernum diem: præstant „ Domino nostro &c.]

Baron. Annal. Tom. 6. sub. ann. 496. pag.516.

Eugipus apud Baron.pag.517.

Baron. in Not.ad ad Martyrol.sub die 8. Januar.

[Sub Pontificatu etiam Gelasii Primi, (scribit Baronius), „ quoto autem hujus sedis anno, nescimus), *facta est, ejusdem „ Pontificis auctoritate*, translatio venerandi corporis S. Seve- „ rini Abbatis, dicti Noricorum Apostoli, Neapolim, nobilis- „ simam Campagniæ Civitatem; eamque paucis descripsit Eu- „ gipius, ejusdem Sancti Discipulus.] Verba Eugipii, ab eodem Baronio relata, hujusmodi sunt: [Tunc, & Sancti Ge- „ lasii, Sedis Romanæ Pontificis auctoritate, & Neapolitano „ populo &c.] De hoc ipso agens, in Notis ad Martyrologium, ait: [Obiit (Severinus) temporibus Odoacris Regis Italiæ, „ circa annum 482. corpus autem ipsius translatum fuisse in „ Lucullanum, propè Neapolim idem Auctor affirmat. *De „ ejus Ecclesia in Lucullano posita, sacrisque reliquiis*, frequens men- „ tio habetur, in Epistolis S. Gregorii &c.] Ista Baronius, sub anno 496. in Gelasio.

S.Gregor. Turon. de Glor. Confess. Cap.33. Act. SS.sub die 11. Junii

Qui verò debitum venerationis cultum S. Amabili Presbytero, qui hoc similiter tempore vixit præbere contempsit; debita statim, neglecti officii, ut S. Gregorius Turonensis refert, pœnas persolvit. En ejusdem verba: [Fuit in Arverna Urbe, „ admirabilis sanctitatis Amabilis quidam Vici Ricomagensis „ Presbyter, qui virtutibus magnis præcellens, sæpè serpen- „ tibus, dicitur, imperasse. Nam ad ejus tumulum, cum Dux „ Victorius despexisset orare, adfixo, e regione equo, nequa- „ quam poterat amovere. Quem cum flagris, stimulisque ur- „ geret, & ille, quasi æneus staret immobilis; tandem aliquando „ Dux à suis commonitus, qui, ut ita dicam, ipsi pecudi simi- „ lis erat factus; ad orationem descendit. Cumque fideliter „ orasset, quo voluit, ivit. Ad cujus sepulcrum energumenum „ vidi mundatum; perjurantem diriguisse, ut ferrum: cri-

men

„ men confessum, illicò absolutum.] Hæc Gregorius.

Ad hoc pariter Sæculum pertinere, putat Henschenius duos illos Sanctos Amantes dictos, quorum sepulcra, summa veneratione habita, ob præclaram in servanda virginitate virtutē. Idem S. Gregorius eorum meminit, dicens: [Duos fuisse apud Arver- Act. SS. M A Tom.6. sub die 25. pag. 38.
„ niam virum, scilicet, & puellam, refert antiquitas, qui conjun-
„ cti conjugio, non sunt ab alteruto pelluti in voluptate carnali.
„ Post multos verò annos, cum eis esset latenter vita castissima,
„ ex consensu pari, vir tonsuratus, ad Clericatum, puella ve-
„ rò religiosum induit vestimentum. Factum est autem ut im-
„ pletis diebus, puella migraret à sæculo: denique vir ejus, præ-
„ parata sepultura exhibuit corpusculum ad sepeliendum. Cum-
„ que eam sepulcro reconderet, arcanum, quod inter eos con-
„ venerat, elevatis manibus, ad Cœlum, pandit, dicens: Gra-
„ tias tibi rerum omnium artifex, ago, quod sicut eam mihi
„ commedare dignatus es, ita tibi reddidi, ab omni voluptatis
„ contagio impollutam. At illa, subridens, ait: Sile vir Dei,
„ quia non est necesse, fatearis nostrum, nemine interrogan-
„ te, secretum. Post hæc obtecta opertorio recessit. Non post
„ multum verò tempus, & ipse migravit à sæculo, sepultusque
„ est in loco suo. Erat autem in una quadam Basilica, sed è di-
„ versis parietibus, utrumque sepulcrum habebatur, & unum
„ quidem ad Meridiem, alterum ad Aquilonem. Manè autem
„ facto, inventa sunt pariter esse sepulcra, quæ usque hodie
„ sic perdurant: idcircò nunc incolæ duos Amantes vocitant;
„ & *Summo venerantur honore*.]

Ne in tanta exemplorum affluentia, omninò prætereamus Sanctas Mulieres, referre sat erit, quæ apud Bollandianos, de Sanctis Magnentia, Palladia, atque Camilla Virginibus, quæ circa annum 437. vixisse perhibentur, adnotata reperiuntur: [Harum tres his vocabulis Magnentia, Palladia, atque Camil- Act. SS. Maii sub die 3. pag. 243.
„ la, ut singulæ, ipso in itinere divinitùs evocatæ, diem clau-
„ sere novissimum; in publico aggere, *nobilem accepere sepultu-*
„ *ram, Ecclesiis superextructis, earumque Sanctitati dedicatis*: quæ
„ hodieque, ob miraculorum evidentiam, & famosissimè con-
„ stant, & ingenti populorum studio frequentantur &c.]

De Sancta demùm Genovefa Virgine, quæ hoc tempore vixit, ubi unum, & aliud miraculum, ad illius tumulum patratum, recitatum est, in ejus Actis ista legimus: [*Erat id tem-*
„ *poris super ejus monumentum extructum ligneum Oratorium*: ve-
„ rùm gloriosæ memoriæ Clodoveus Rex, qui, ob ejus amorem
„ in carcere retrusis sæpe veniam dederat, &, ob diversa cri-
„ mina animadversione dignissima, capite plectendos, in ipso
pro-

„ propè carnificis ictu, supplicante pro eis Genovefa, absolve-„ rat, Basilicam mirabili opere extruendam susceperat Sanctæ „ Virginis adhorrationibus permotus: quæ postea illo è rebus „ humanis excedente, studio Illust. Clotildis Reginæ Conjugis „ ejus mirificè exædificata, & ornata, in sublime crevit fasti-„ gium, triplici porticu insignita.]

C A P. X V I.

Ipso Quinto Sæculo, erga Sanctos non Martyres, Pontifices, & non Pontifices, Virgines, ac Mulieres, in Orientali Ecclesia cultus impertitus.

EX Ecclesia autem Orientali, perpauca etiam producere sufficiat exempla. Et quidem S. Joanni Chrysostomo, qui e vivis decessit, circa annum 407., juxta quem toties memoravimus veterem ritum, non alibi quàm propè Martyrem Basilis, cum, sepulcrum tributum fuit. Qua de re Joannem ipsum sanctissimus idem Martyr, pridie quàm moreretur, admonuit; cum ei, nimirum apparens, hæc dixit: [Joannes frater, cra-„ stinus dies *nos loco conjunget*.] [Cum autem (ut in ejus vi-„ ta legitur), ad multorum aures pervenisset, eum deces-„ sisse &c. multitudo innumerabilis, multitudo incredibilis, vi-„ rorum simul, ac mulierum, quæ pie exercebantur, ex ipsa „ Syria, & Cilicia, ex Ponto, & Armenia confluebat, ad ado-„ randum Beatum tabernaculum.] [Cœpta est autem, (in-„ quit Baronius), Natalis ejus solemnitas agi Constantinopoli, „ tempore Theodosii Junioris, postquam opera S. Innocentii „ Papæ, nomen ejus, quod per Schismaticos fuerat abrasum à „ diptycis, Catholica Ecclesia gaudente, est in pristinum resti-„ tutum.] Aliam, sub nomine *Relationis Reliquiarum* ipsius Chrysostomi Festivitatem agi solitam, Baronius idem testatur.

Ex Breviar. Romau. & aliis.

Baron. in Not. ad diem 14. Septembr.

[Sanctum Epiphanium, (scribit Cardinalis Baronius idem), „ constat superstitem adhuc fuisse, septimo anno Arcadii Impe-„ ratoris, Vincentio, & Fravisa Coss; qui adscribitur, à re-„ centioribus annus, à Christo Domino quadringentesimus pri-„ mus.] At licet ut idem observat, vitam ad centum, quindecim annos, minus mensibus tribus produxerit; nihilominus, cum jam adolescens fuisset, cum adhuc iuvenis Sanctus Hilarion

Baron. in Not. ad Martyrol. ad diem 12. Maii.

rion esset; & hic octuagenarius, anno Domini trecentesimo septuagesimo secundo, extremum diem obierit: idcircò hoc Sæculo Quinto, ad Cœlos evolasse, nemo ritè in dubium vocare poterit. [Mortuo autem illo, (inquit Sozomenus), id, quod „ viventi non contigerat, ad sepulcrum ejus dæmones etiamnum „ fugari, & morbi quidem curari dicuntur.] [*Fuit eidem* „ (addit Baronius), *post obitum erecta Basilica, eademque* „ *sacris imaginibus exornata*, ut apparet, ex actione 6. Sanctæ „ Synodi Nicenæ secundæ.]

Sozomen. Histor. Eccles. lib. 7. c. 27. pag. 479. & Niceph. lib. 11. c. 46.

Baron. in inNot. ad diem 12. Maii.

Anno verò, ut putat Baronius idem quadringentesimo tertio, Sanctus Nilamon reclusus, dum ad Episcopatum traheretur, invitus spiritum Deo reddidit. De illo hec habet Sozomenus. [Nilamon verò, inter orandum, ex hac vita migravit. Et initio „ quidem Theophilum, & eos, qui cum illo, & extra cellam „ stabant, ea res latuit. Sed cum maxima pars diei jam con„ sumpta esset, & altiori voce crebrò inclamantibus, ille nihil „ responderet: tandem dejectis lapidibus, qui ante ostium po„ siti erant, hominem mortuum deprǽhenderunt. *Eumque, quo* „ *par erat, cultu publica sepultura honorarunt. Ecclesiam quoque,* „ *circa ejus tumulum incolæ ejus loci ædificarunt, diemque illus obi-* „ *tus celeberrimum agere hactenùs perseverant.*]

Idem in Not. ad diem 6. Januar.

Sozomen. Histor. lib. 8. cap. 19.

At quanta munificentia sepulcrum, sepulcrique locus, in quo sacrum S. Euthymii Abbatis, sub anno 465. mortui corpus conditum est, constructum, exornatumque fuerit; Cyrillus Monachus, in ipsius vita, à Metaphraste, apud Surium relata, narrat his verbis: [Diaconus autem Pheidus, multis col„ lectis operis, & magno adhibito studio, speluncam, quæ in „ principio tenuit silentem Divinum Euthymium, pulcherri„ mam, & maximam Ædem effecit: *cujus cum medium attribuis-* „ *set thecæ magni illius Patris*, ex utraque parte elaborat thecas „ Presbyterorum, Præfectorum, & aliorum Sanctorum viro„ rum. Postquam autem jam perfecta fuissent omnia, tabulam, „ quæ erat sepulcro imponenda, & argenteum urceum, & can„ cellos, Patriarcha statim mittit Hierosolymis. Deinde ille „ ipse quoque descendit ad Lauram, cumque Sanctum illud „ B. Viri corpus, cum lampadibus, & hymnis propriis credi„ disset manibus, transfert ad eam Ædem, quam ipse recenter „ fuerat fabricatus, & in sacro suo deponit loculo, ut nun„ quam posset amplius aperiri, &, nec vel ullæ parvæ possent „ illinc ejus auferri reliquiæ &c.] Ex eodem Cyrillo Monacho, in vita S. Sabbæ Abbatis, quam pariter conscripsit, Natalem diem S. Euthymii, sub die vigesima Januarii celebrari solitam, Baronius observat.

Sur. dem. p. pagin. 477.

Baron. ad diem 20. Januarii

A' præfato verò S. Epiphanio, Græci in Menologio, Sanctum Tychonem Amathuntæ Episcopum, Arcadii Imperatoris temporibus ordinatum fuisse, scribunt. Eidem autem, post obitum percelebre erectum fuisse Oratorium, constat, ex vita S. Joannis Eleemosynarii, cujus sacrum corpus, in eodem Oratorio, sepulcrum obtinuit. Commemoratur, insuper in illa, annua solemnitas, quæ in honorem ejusdem agi consueverat, his verbis. [*Erat autem, qua colebatur sacræ Vigiliæ hymnodia, annuæ recorda-* „ *tionis Sancti miraculorum Factoris Tychonis &c.*

Menolog. Græc. apud Baron. sub die 16. Iunii in Not. ad Martyr.

Vit. S. Io: Eleemosin. cap. 70. & capit. 74. in Vit. P.P. pagin. 203. & 205.

De Sancto Hypatio Presbytero Monasterii Rufiniani, qui floruit circa annum 452., ex Vita Græco-Latina, hæc Paperbrochius refert. [Sacrum verò pignus deposuerunt in venerando Oratorio, intra Arcam lapideam, ubi fratres orationes suas „ fundunt: cum autem sepelliretur, *irruerunt populi in feretrum* „ *discerpendo illud, volentes, benedictionis causa, accipere aliquid* „ *vestium illius; & alii quidem cultris scindebant syndonem, alii* „ *vestem,* nonnulli etiam pilos genarum detondebant; itaut ægrè „ potuerimus tumultuantes compescere &c.] Sic ille.

Act. SS. Iun. die 17. Vit. Græcol. cap. X. pag. 547.

Et quidem, ne quid simile corpori suo contingeret, præ humilitate metuens S. Arsenius, qui sub hujus sæculi initium, anno, nimirùm 404., ad superos evolavit, ut narrat Ruffinus, cum turbatos discipulos suos, ob imminentem, quem putabant suum obitum, vidisset, dixit eis: [Nec dum hora mea venit: „ cum autem venerit, non tacebo. *Sed tamen stabitis mecum* „ *in Divino Judicio, ante Tribunal Christi, si alicui de meo cor-* „ *pusculo aliquid, velut reliquias dederitis.*] Quod etiam, ex incerto Auctore Græco, Pelagius interpres tradit his verbis: [*Judi-* „ *cari autem habeo vobiscum ante Tribunal Christi, si permiseritis* „ *cuiquam de corpore meo aliquid facere.*]

Baron. in Not. ad diem 19. Julii

Ruffin. de Vit. Patrum lib. 3. numer. 165. pag. 524.

Pelag. d. Vit. Patr. lib. V. libell. XV. de Humilitat. num. 9. pag. 621.

Et quia Antiochenus Episcopus, ex S. Symeonis Stylitæ corpore, qui hoc pariter Sæculo, sub anno 460. evolavit ad Cœlum, hujusmodi reliquias accipere voluit; statim Deum sensit ultorem, ut in ejusdem vita, Antonius ipsius discipulus sic narrat. [Cum autem jaceret S. Symeon in feretro, volens Papa „ Antiochiæ, *de barba illius, pro benedictione aliquid contingere,* „ extendit manum, statimque arefacta est, multæque obsecra- „ nes, & orationes fiebant ad Deum pro eo, & sic restituta est „ manus ejus.]

Baron. in Not. ad diem 5. Ianuar.

Anton. Discipul. in Vit. S. Simeonis cap. 18. in Vit. PP. lib. 1. pag. 174.

At quod, non nisi hoc miraculo cohiberi potuerit fidelium religio, manifestè declarant, quæ idem Scriptor statim addit. [Supponentes autem corpus feretro, cum psalmis, & „ hymnis, duxerunt Antiochiam; omnis autem populus, qui „ erat per circuitum regionis illius, plangebant, *quod patroci-*

Ibid. ut supr. capit. 19.

nium

„ *nium tantarum reliquiarum tolleretur ab eis; & quod Episcopus* „ *Antiochiæ jurasset, ut nemo tangeret corpus illius.*] Et post nonnulla. [Multi autem obtulerunt thesauros Episcopo Antio- „ chiæ, pro fide poscentes reliquias de corpore ejus; sed pro- „ pter jusjurandum, minimè præstitit.] *Ibid. cap. 21. pagin. 175.*

Ne tamen perperàm existimetur, S. Symeonem miraculo, quod diximus, Antiochenum Episcopum, à sacrarum suarum reliquiarum cultu absterrere voluisse: apertissimè vetat, quod ipsis suis reliquiis, magnificè præstitum cultum, multò pluribus miraculis, ad ejus tumulum patratis comprobaverit. Postquàm siquidem præfatus Antonius, de solemni ejus sepultura egit; hæc demùm addit. [Multæ etiam virtutes fiunt ad sepulcrum ejus, „ magis quàm in vita sua; & homo qui sanus factus est, ibi ser- „ vivit usque in diem mortis suæ.] *Ibid. ut supr.*

Sub ipso verò Imperatore Leone, in cujus quarto anno, S. Symeon, ex hac vita migravit; ejusdem sacrum corpus, Antiochia Constantinopolim translatum, in Ecclesia Deo, in ejus honorem, ab eodem ædificata conditum fuisse, ex Actis Danielis Stylitæ, optimè observat Baronius. [De translatione (scribens) reliquiarum ejus facta Constantinopolim, & Ecclesia, in „ ejus honorem erecta, ab eodem Leone Imperatore, habetur „ mentio in Actis Danielis Stylitæ.] *Baron. in Not. ad diem 5. Iannar.*

Imò ubique terrarum, tam impenso obsequio S. Symeonis sanctitas prosequuta fuit, ut sacra ejus imago, Romæ in vestibulis officinarum, ob tutelam figebatur, ut est apud Theodoretum. *Theodoretus in Philotheo cap. 26.*

At ne sanctas Mulieres pœnitus prætereamus, circa annum 408. ad superos evolavit S. Virgo Apollinaris, quæ ementito habitu, inter Monachos, vixit, ac mortua est. In illius verò Actis hæc habentur. [Allatisque sanctis ejus reliquiis, eas posuerunt ad orientem Sanctæ Ecclesiæ in antro Abbatis Mac- „ carii, cum gaudio, & gloria, usque in hodiernum diem, per „ Deum, & Sanctos Patres; & post Sanctæ dormitionem, pera- „ guntur curationes gratia &c.]

In eo, quem paulò ante memoravimus Theodoreto Cyri Episcopo, qui hoc Sæculo Quinto præcipua eruditione insignis fuit; illud demùm observant notatu dignum, quod, videlicet in libro de Vitis Patrum, quæ conscripsit, cuique titulus *Philothæus*, sive *Theophilus*, singulorum Sanctorum non Martyrum, quorum gesta recenset, humiliter se precibus commendasse, eosque apud Deum intercessores invocasse: videlicet, Aphraatem, Petrum Galatam, Theodosium, Romanum, Zenonem, Macedonium, Masymam, Acepsimam, Abraamen, Eusebium, *Idem in Vit. PP. Lib. 9. pag. 794. & seq.*

Salamanum, Marem, Jacobum, aliosque plures. Quod quidem cumulatissimè etiam, præstitisse ipso Sæculo reperimus Abbatem illum, qui ubi Sanctam Euphrosynam, & mulierem, & mortuam deprahendit. [Euphrosyna, (inquit) sponsa Chri-
„ sti, & filia Sanctorum, ne obliviscaris conservorum tuorum,
„ & hujus Monasterii, sed ora pro nobis ad Dominum Jesum
„ Christum, ut faciat nos viriliter certando pervenire ad por-
„ tum salutis, & portionem habere secum, & cum Sanctis suis.]
De eadem verò S. Euphrosyna, ac Patre ejus Paphnutio, qui circa annum 420. floruerunt, annuam solemnitatem fuisse institutam, in ipsius S. Euphrosynæ gestis dissertè his verbis asseritur: [*Dies autem migrationis eorum ad Dominum, celebratur in*
„ *eodem Monasterio, usque in præsentem diem, glorificantes &c.*]

Auct. incert. in Vit. P. P. lib. 1. pag 368. cap. 16.

C A P. XVII.

Sanctis Episcopis non Martyribus, amplissimi honores in Occidentali Ecclesia, Sexto Sæculo tributi, Basilicis, & Cathedralibus, in ipsorum honorem erectis, ac in Missæ Canone eorum nomine adscripto.

SExtum Sæculum, in Sanctos, qui Martyres non fuerunt, plura etiam exhibet fidelium venerationis, ac cultus documenta. Percelebre, inter ea, illud est S. Maximiani Ravennatis Episcopi, qui circa annum 556. floruit: nam is prædecessorum suorum, Sanctissimorum Præsulum. qui primis nascentis Ecclesiæ sæculis Ravennatem Cathedram, sanctis operibus exornaverant, venerationem, ac cultum sarcire studuit, ac revocavit: nam, ut legitur apud Bollandianos: [Maximianus, ca-
„ daver Divi Probi, cum cæteris Sanctorum Antistitum cada-
„ veribus, unguentis delibutum, optimo loco posuit, & in
„ frontispicio Templi Divi Probi, in quo sacra cadavera loca-
„ verat, quod erat ad mare, Divorum Probi, Eleucadii, &
„ Caloceri imagines, tessellato opere pingendas curavit; ædem-
„ que illam universam instauravit, & ornavit &c.] Quam Maximianus instauravit, ornavitque Divi Probi Basilicam, longè ante constructam, fateri necesse esse, quod, nimirum præ vetustate forte collabentem, ab eo resarciri eguerit. Probus autem, Eleucadius, & Calocerus, (ut alibi monuimus) ad Secundum Sæculum pertinent. Primus siquidem, sub anno reparatæ salu-

Act. SS. sub die 12. Februar. tom. 3. num. 15. pag. 296.

Baron. in Not. ad diem 10. Novem.

salutis 175. Calocerus, sub anno 132., & Eleucadius, sub anno 112. ad superos evolarunt; quorum sacras reliquias, & memorias semper antea religiosissime cultas, præsenti sæculo Maximianus, ut diximus, renovavit, exornavitque.

Fabr. in mem. Hist. Ravenn. p. 2. pag. 403.
Act. SS. Bolland. feb. tom 2. ad diem 12. pag. 747.

Circa annum 509. ad superos evolavit S. Gregorius Lingonensis Episcopus, de quo S. Gregorius Turonensis, inter cœtera hæc habet. [Cum B. Pontifex in angulo Basilicæ fuisset sepultus, & parvus fuisset locus ille, nec eò populi sic possent „ accedere, ut devotio postulabat: S. Tetricus filius, & successor ejus hæc cernens, & virtutes ibidem assiduè operari „ prospiciens, ante Altare Basilicæ fundamenta jacit, erectamque absidem miro opere construxit, & transvolvit. Ea verò „ transvolta, disruptoque pariete, arcum ædificat. Quod opus, „ cum esset perfectum, atque exornatum, postquam in media „ abside loculum fodit, quo corpus B. Patris transferre volebat; convocat Presbyteros, & Abbates ad illud officium, qui „ vigilantes orabant, ut se Beatus Confessor, ad hanc sibi præparatam habitationem transferri permitteret &c.] & deindè narratur à Gregorio, quod divinitùs ea in translatione actum fuisse, visum est.

S. Gregor. Turon. de Vit. PP. lib. 7.

At non nisi constructo à fundamentis Templo, acceptisque, quæ vivens frustra petierat, Brittonibus reconciliari voluisse, S. Paternus Episcopus Venetensis, qui hoc Sexto Sæculo floruit, visus est. Rem in ipsius vita Bollandiani narrant his verbis, [Post obitum S. Paterni, Minorem Britanniam atra fames invasit; nam trium annorum spatio post transitum ejus, „ nec ros, nec pluvia de Cœlo super totam Provinciam descendit. Invenerunt tandem incolæ, quod S. Paternus, ab injuriosis, & falsis fratribus afflictus, terram reliquisset. Inito „ consilio, ad locum sepulturæ ejus apud Francos perrexerunt, „ ut honorificè reliquias ejus secum transferrent. Quod cum „ assequi nullo modo valerent, *unum ex ossibus ejus illis donatum*, „ omnis exercitus portare non potuit. Turbatis igitur omnibus, „ & quid agerent, ignorantibus, supervenit nobilis quidem „ Urbis Guenet, sic dicens: Dum viveret Sanctus Pater, postulabat à me sæpius terram meam, ut ibi Ecclesiam fundaret: „ quod ita privavi eum sua petitione dum viveret, hanc post „ mortem libens concedo: Surgat itaque, sumat locum, petitionem accipiat. Hoc dicto, *Os memoratum* levissimè à terra sustollitur, & ad *terram suam illud deferunt*; & *in Ecclesia illius divitis constructa*, cum magno honore collocant &c.]

Act. SS. April. Tom. 5. sub die 15. pag. 381. Vit. c. 1. num. 9.

Et quidem, summo studio, summaque religione, non ossa modo, sed cujuscumque generis reliquias Sanctorum hujusmodi

di fuisse hoc Sæculo perquisitas, imò avidissimè arreptas; ea declarant, quæ in vita S. Domitiani Episcopi Trajectensis, (qui, ut in Indice Chronologico Bollandianorum habetur, circa annum 560., ex hac vita decessit), apud Henschenium, ubi de illius funere agitur, hac ratione narrantur: [Multi devotione ,, accensi, sanctitatem Patris sanctissimi agnoscentes, ex vestimentis ejus particulas, *pro reliquiis* incidebant; alii rumpebant, ,, nonnulli ungues manuum, sive pedum, dum poterant, decurtabant; quidam verò summitatem capillorum capitis ,, præcidebant; & hæc omnia sibi, quasi venerandas reliquias ,, reservabant.] Sic ibi, ubi fusè etiam confluentium multitudo, ad ejusdem S. Domitiani sepulcrum visitandum describitur.

Act. SS. Maii tom. 2. sub die 7. pag 150. Vit. c. 2. num. 13.

Tanta verò prodigia, ad tumulum Sancti Vouge, seu Vii, in Britannia Armorica Episcopi, qui hoc Sæculo in Cœlum migravit, divinitùs facta sunt; ut præclara Basilica, (quod primùm exiguum sacellum erat, sub cujus Altari sacrum ejusdem corpus positum fuerat), propterea evaserit. Narrantur ista apud Bollandianos, hoc modo: [Discipuli verò ejus, *sepellierunt eum subtus Altare Sacelli sui*: quo in loco Deus deinde tanta, per ejus intercessionem operatus est miracula; *ut excisa* ,, *Sylva, ibidem ædificata sit Ecclesia, ejus nomini consecrata, quam* ,, *deinde S. Teneanus Episcopus Leonensis in Parochialem erexit*.]

Act. SS. sub die 15. Iunii pag. 861. num. 8.

Idem ferè accidit, de corpore S. Medardi Noviomensis Episcopi, qui sub anno 545. floruit. Nam ut in ejus vita habetur: [Peractis celeberrimè Beatissimi Dei Athletæ inferiis, Rex ,, Clotarius *super venerabile Sancti corpus, parvum ad tempus jussit* ,, *ædificari tugurium, quousque ad faciendam inibi Ecclesiam necessaria pararet expensarum*.] Quæ quidem in altera Vita, à Paperbrochio relata confirmantur. Ecclesiam autem à Clothario, in honorem, & supra S. Medardi corpus cœptam, Sigebertus ejus filius tandem perfecit. Qua de re Venantius Fortunatus, in ejusdem Sanctissimi Episcopi vita metrica cecinit:

Act. SS. Iunii sub die 8. Vit. capit. 5. num. 30. pag. 93.

Venant. Fortun. Carm. Lib. 2.

[En tua Templa colit nimio Sigebertus honore,
,, Insistens operi promptus, amore tui.
,, Culmine custodi, *qui Templum in culmine duxit*
,, *Protege pro meritis qui tibi Templa dedit*.]

De Sancto autem Germano Parisiensi Episcopo, qui hoc pariter sæculo, sub anno 576. ponitur, ista profert Godefridus Henschenius: [Cultum illi sacrum, non diu post mortem exhibitum, innuunt verba (Venantii) Fortunati, dum cum *Sanctum* & *Sanctissimum* appellat, vel etiam *Sanctum*, & *Beatum* &c. ,, *Sancti* manus, *Sancti* vestigia, *Sancti* fimbriam: immò n. 34. ,, *Vigilias in honorem Sancti celebratas asserit*. Quod confirmat Gre-

Act. SS. Maii Tom. 6 sub die 28. pag. 775. in comment. prævio n. 40

„ Gregorius Turonensis, dum B. Germanum requiescere in cor-
„ pore; & virtute Sancti, gressus paralyticorum, & cœcorum
„ visus restitui tradit. Sacra quoque ejus memoria adjuncta est
„ quatuor Martyrologiis Hieronyminianis apographis, etiam
„ antiquissimo Epernacensi, cum his ubique verbis, ad diem 28.
„ Maii. [*Civitate Parisius Depositio S. Germani Episcopi.*]

De eodem insuper S. Germano, ex Venantio Fortunato, narrat idem Henschenius, quod translationem S. Albini Andegavensis Episcopi celebraverit: [Floruit eodem (Sexto) Sæculo, „ (dicens) S. Albinus Episcopus Andegavensis, mortuus circa „ annum 549. cujus Acta etiam à Fortunato scripta, illustravi- „ mus, ad Kalend. Martii. In his, de corporis ejus translatione „ ista scribuntur: [Igitur cum S. Germanus Episcopus Parisio- „ rum, vel comprovinciales, ac Pontifex successor ejus, & po- „ pulus vellent membra S. Albini in nova Basilica devotè trans- „ ponere, & propter cellulæ &c.] Ista Henschenius.

Ibid. ut supra in Comen. prævio §. 2. num. 10. pag. 776.

Et quia hic plures commemoratum offendere contigit Venantium Fortunatum; abs re non erit nonnulla de ipso hic subnectere. Floruit siquidem ille hoc eodem Sæculo Episcopus Pictaviensis, vitæ sanctitate, & multiplici eruditione conspicuus. Præter eas, quas supra recensuimus ab illo exaratas Sanctorum Historias, Sancti quoque Martini Turonensis Episcopi vitam est carmine prosecutus; in qua, libro quarto miraculorum, refert, quod ejusdem sanctissimi Præsulis meritis, Ravennæ in Ecclesia SS. Joannis, & Pauli, tàm ipse, quàm socius suus Felix, pænè amissum oculorum lumen receperunt. En quæ canit.

Venant. Fortun. Vit. S. Martini lib. 4. in Bibliotec. PP. sæcul. 6. par. 2. tom. X. pag. 612.

[Inde Ravennatum placitam pete dulcius urbem,
„ Pulpita Sanctorum per religiosa recurrens,
„ Martyris egregii tumulum Vitalis adora.
„ Mitis, & Ursicini, Pauli sub sorte Beati.
„ Rursus Apollinaris pretiosa limina lambe,
„ Fusus humi supplex, & Templa per omnia curre.
„ *Expete Martini loculum, quo jure sacelli*
„ Jam desperatum lumen mihi reddidit auctor.
„ Munera, qui tribuit saltem rogo, verba repende.
„ Est ubi Basilicæ culmen Pauli, atque Joannis,
„ *Hic paries retinet Sancti sub imagine formam*
„ Amplectenda ipso dulci pictura colore.
„ *Sub pedibus justi paries habet arte fenestram*
„ *Lychnus adest, cujus vitrea natat ignis in urna.*
„ Hùc ego dum propero, valido torquente dolore,
„ Diffugiente gemens oculorum luce fenestræ:
„ Quo procul, ut tetigi benedicto lumen olivo.

Igneus

„ Igneus ille vapor marcenti fronte recessit,
„ Et præsens medicos blando fugat anguine morbos.
„ Non oblita mihi mea lumina munera Sancti,
„ Nam redit ante oculos, oculorum cura fidelis,
„ Et memor illud ero, dum luce, & corpore consto.]

Paulò ante, ut observat Hieronymus Fabrus, Felicem socium eamdem gratiam à S. Martino obtinuisse, idem Venantius his verbis retulerat.

Hieronym. Faber sac. mem. Raven. lib. 1. pag. 276.

[Qua mea Taurisius residet, si malliter intras
„ Illustrem socium Felicem, quæso require,
„ Cui mecum lumen Martinus reddidit olim.]

Ibid. ut supra.

Ughel. Ital. sac. in Episc. Bellun. pag. 170. num. 7.

Contendit in Episcopis Bellunensibus Ughellius, Felicem hunc de quo Venantius loquitur, ipsummet fuisse, qui postmodum Episcopus Bellunensis creatus, sanctitate insignis, Romano Concilio, sub anno 547. interfuit: Quique grati animi ergo, Deo, in honorem S. Martini, ejusdem Civitatis Cathedralem Ecclesiam ædificavit. Nihilominus, quem diximus Faber, alterum ab eo quem Venantius commemorat, & quidem antiquiorem, Felicem eum credit, qui cum & ipse, per intercessionem S. Martini oculorum lumen recepisset, ut beneficium rependeret, præfatam Cathedralem, in S. Martini honorem construxerit. Quidquid fuerit, ex his, & aliis, quæ Venantius cecinit, & lumina, & imagines, & sacella, & Eccclesias etiam Cathedrales, Deo, in Sanctorum honorem, qui Martyres non fuissent, hoc tempore dicatas habemus.

S. Gregor. Turon. de Glor. confess. caput. 41.

Floruit hoc ipso Sæculo S. Gregorius Turonensis, qui, postquam duos, de Gloria Martyrum libros exaravit; his, de Gloria Confessorum, tertium addidit; ex quo cum plura excerpserimus Operi huic, vel jam inserta, vel opportunè inserenda; ideò singulis commemorandis, quæ in eo narrantur, immorandum non est. Unum, & alterum non prætercam, & illud in primis, quod refert de Tribuno quodam Numino vocato, qui provolutus ad S. Germani Antissiodorensis Episcopi sepulcrum, cum diutissimè orasset, extracto de vagina tigre, lapidem qui supra venerabile sepulcrum habebatur, nemine vidente percussit. De quo excussa particula modica, tamquam æneus diriguit, ita ut nullum membrum posset ullatenus judicare, aut vocem emittere. Qui, ut erat rigidus in corde suo intelligens se damnatum, hujusmodi emisit votum. [Scio me præsumptuosum extitisse, Beatissime Confessor, sed devotio exegit, ut præsumerem: & ideò „ si me dignaris absolvere, & ad propria cum tua gratia redire „ permiseris, *in Basilica has reliquias condens*, *Festivitatem tuam* „ *devotissimè annis singulis celebrare curabo*. Cujus clausum murmur,

„ mur, Vir Sanctus intelligens, eum absolvit, & abire eum permisit incolumem. Qui veniens reliquias illas in Ecclesia posuit, „ & *Sancti Festa, per singulos annos fideliter celebravit*.]

Aliud, quod memoratu dignum refert Gregorius, hujusmodi est, ubi, nimirum, de Basilica S. Venerandi Episcopi egit. „ [Est ibi, & Sepulcrum S. Venerandi Episcopi, sub analogio, „ compositum, super quod caput *per Fenestrellam* quicumque vult, „ immittit, precans, quæ necessitas cogit, obtinetque mox effe- „ ctum, si juste petierit]. Quid sibi vellet fenestrella illa, super Sanctorum Apostolorum, & Martyrum tumulos aperta, qui intelligere cupit, Baronium in Notis, ad diem 15. Junii consulat; elicietque ex eo, per illam immitti consuevisse vela, vel, ut S. Gregorius nominat, brandeum, quod Sacris admotum reliquiis, pro magno munere ad clarissimas personas, deinde transmittebatur. Quod quidem eo consilio adnotandum censuimus, ut perspicuè appareret, nullum cultus, honorisque genus Sanctis Martyribus præstitum fuisse, quod aliis quoque Sanctis, qui Martyres non extitissent, indistinctè exhibitum non fuerit.

Idem dict. Glor. Confes. cap. 34. & cap. 37.

Baron. in Not. ad die 15. Iunii.

S. Gregor. Epist. Lib. 3. epist. 30. ad Constantium

His omnibus verò meritò proponendum est, quod in Missali habetur dicto Francorum: [Cujus codex, (inquit Morinus), „ videtur post annum 511., sed ante annum 560. in Gallia scri- „ ptus, Gallisque nondum in unum populum cum Francis coale- „ scentibus]. In hoc igitur Missali, non modo adnotata legitur pag. 318. num. 14. S. Hilarii Missa, his verbis. [Oratio, & pre- „ ces in *Natali S. Hilarii*;] sed quod magis est pag. 327. num. 23. in Canone Missæ, ejusdem S. Hilarii, & Martini, una cum illis Sanctorum Apostolorum, & Martyrum nomina recensentur, his verbis: [Communicantes, & memoriam venerantes, in pri- „ mis gloriosæ semper Virginis &c. Joannis, & Pauli, Cosmæ, „ & Damiani; *Hilarii, & Martini*, & Omnium Sanctorum, quo- „ rum meritis &c.]

Morin. Lib. de Sac. Ordinat. pagin 261. & Jo: Mabillon. Lib. 30. de Liturg. Gallicana cit. pag. 177. n. 6.

C A P. XVIII.

Cæteris Sanctis non Martyribus ipso Sæculo Sexto plurimus cultus datus ostenditur. Sancti Gregorii Magni, in eos veneratio monstratur.

QUos Sanctis Episcopis delatos retulimus Sexto hoc Sæculo honores; eosdem Sanctis quoque aliis, qui Martyres non extiterunt, fuisse tributos, quæ sequuntur exempla abundè declarant.

Act. SS. Bollan. Febr. Tom. 1. sub die 4. in Commen. prævio §. 2. n. 15. Lib. 1. c. 3. n. 12.

Sub ejusdem circiter annum 547. floruisse S. Aventinum Presbyterum, Bollandiani dicunt, & in ejusdem, quam referunt vita, à Nicolao Camuzato, ex Mss. edita, ista in medium producunt. [*In cujus honore* (, Aventini) *Vir Sanctus Vincentius* ,, *Episcopus*, *Basilicam subtus urbem Tricassinam*, *diligenter fundari* ,, *præcepit*, *in qua simul conjuncto latere requiescit*.]

Act. SS. Bolland. feb. tr. 3. die 28. pag. 745.

Et Sepulcrum, & exinde Templum, voluit autem S. Romanus Abbas Jurensis, qui haud multo post, nempè sub anno 560. vixit, non alibi sibi constitui, quàm in loco, ubi latè omnibus utriusque sexus, ad ea confluentibus pateret accessus. Rem narrat S. Gregorius Turonensis. hoc modo: [Post hæc autem, cum ,, jam senes, provectæ essent ætatis, Lupicinus Abbas, scilicet, ,, & Romanus frater ejus, ait Lupicinus Germano suo; Dic mihi, ,, Frater, in quonam Monasterio vis tibi parari sepulcrum, ut ,, simul quiescamus? Qui ait; Non potest fieri, ut ego in Mo- ,, nasterio Sepulcrum habeam, à quo mulierum accessus arcetur. ,, Nosti enim, quod mihi indigno, & non merenti, Dominus ,, meus gratiam tribuit curationum, multique per impositionem ,, manus meæ, ac virtutem Crucis Dominicæ, à diversis lan- ,, guoribus sunt erepti. Erit autem concursus ad tumulum meum, ,, si ab hac vita migravero. Ideòque eminus à Monasterio, in ,, Monte parvulo sepultus est. *Super cujus deinceps sepulcrum ma-* ,, *gnum Templum ædificatum est*, *in quo ingens frequentia populi*, *die-* ,, *bus singulis accurrit*, *&c.*]

S. Greg. Turon. D. Vitis PP. Capit. 1.

Super tumulum etiam S. Deodati Abbatis, qui hoc ipso Sæculo vixit, Ecclesia constructa est, quod ipsum fidelium turba, ob receptas sanitatum gratias, frequentare cœpit; Sic enim legitur in ejus vita, à Bollandianis relata. [Post exequias, cu- ,, culla, tunica, palliolum, & cœtera vestimenta divisa sunt, ,, & in multitudine distributa. Quæ cum morbis adhiberentur, ,, & recta valetudo sequeretur, magna veneratione cœptus est ,, venerari, ejusque sepulcrum frequentari; *Cumque ibi multa* ,, *fierent miracula*, *ab accolis super tumulo Ecclesia extructa est*.] In altera vita, apud Bollandianos, ex Codd. Reginæ Svetiæ, eadem leguntur hoc modo; [Quorum dilatatione gaudii actum ,, est, ut ingens Basilicæ fabrica, *in parvo cerneretur tempore*, ,, *super ejus venerabile sepulcrum assurgere*.]

Act. SS. April. Tom. 3. sub die 20. pag. 274. num. 6.

Ibidem ut supr. pag. 275.

Exiguum pariter Oratorium, in quo S. Herveus Abbas, in Britannia minori, hoc Sæculo mortuus, sepultus fuit, in magnam evasit Ecclesiam; ut apud præfatos Bollandianos narratur his verbis: [Sepellientes eum, ante Altare Oratorii sui, in ,, capsa lapidea, firmata ferreis, & plumbeis laminis. *Dein-* ,, *dè super parvum istud Oratorium*, *ædificata est major Ecclesia Paro-*

Acta SS. Iunii. sub die 17. pa. 375. num. 17.

chia-

„ *chialis, quæ de Sancti nomine appellata est: Laud Nonarne, ubi se-*
„ *pulcrum ejus spectatur, miraculis illustre, per merita, & interces-*
„ *sionem Sancti.*

Ne verò locus, ubi sepulturæ corpus S. Aviti Eremitæ, qui floruit, circa annum 570. in Sarlatensi, apud Petracoricos Diœcesi, absque debita veneratione esset: plures in eo se congregasse, ut ejusdem cultui incumberent, ex Mss. Sarlatensibus, iidem Bollandiani tradunt, his verbis: [Ad cujus exequias corpusculi, „ ac suæ memoriæ commendati; in eodem loco, ubi requiescit, „ sunt plures coadunati, Deo præstante, cui est honor &c.]

Acta SS. Iunii sub die 17. p.364. num. 18.

Ut autem primo Ecclesiæ Sæculo, Sancti Cornelii Centurionis sepulcrum, juxta Aram stetisse Templi, quod in ejus honorem constructum fuerat, supra narravimus; sic præsenti Sæculo, honoratum pariter Sancti Majani, sive Mevenni Abbatis corpus; iidem, qui supra Bollandiani docent, dum scribunt. [Corpus honorificè depositum, in suo Monasterio, in monu„ mento super terram elevato, *ad dexteram Aræ Principis* ubi „ Deus magna operatur miracula, in testimonium sanctitatis „ ejus: Ibi servate sunt sacræ ejus reliquiæ debito honore, & „ veneratione, usque ad annum 878. quando &c.]

Act. SS. Iun. sub die 21. Pagin. 81. num. 14.

Servatum quoque hoc tempore priscum illum, cujus sæpè meminimus, morem, ut videlicet una cum SS. Martyrum, & inter SS. reliquias, Sanctorum cæterorum, qui Martyres non extitissent, corpora conderentur; perspicuè hæc ostendunt, quæ in vita S.Tranquilli Abbatis S. Remigii Divione leguntur: [Unde, „ & moriens S. Joannes Abbas Monasterii, quod Reomausus di„ citur, *condignam meruit sepulturam, juxta corpus sæpè dicendi* „ *S. Benigni Martyris*: cui successit Tranquillus (qui hoc Sæ„ culo floruit,) qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates, „ infirmis, ex ejus tumulo præstitæ testantur, ut refert Grego„ rius Turonensis, in seipso expertus. *Sepultus verò est, ad dex-* „ *teram partem sepulcri S. Martyris Benigni*, juxta S. Paschasium; „ juxtaque eum posita fuit S. Florida; Ex altera verò parte, „ juxta Sanctum Eustadium, sepulcrum fuit S. Hilarii Senato„ ris, conjugisque ejus S. Quittæ.] Sic ibi:

Acta SS. Maii tom.2. sub die 15. pag 404.

De Natalitiis autem in Sanctorum honorem hoc Sæculo celebratis, ex Cartulario Arelatensi, de S. Florentino Abbate; qui floruit sub anno 553. Daniel Paperbrochius ista prompsit: „ [Cum vixisset Florentinus annos plus minus septuaginta, „ præfuissetque illi Cœnobio annos quinque, & menses totidem, „ migravit ad Christum Prid. Idus Aprilis, anno duodecimo „ post Consulatum Basilii Junioris. *Ejus verò Festum Arelate duo-* „ *decimo Kalend. Junias, magna populi veneratione colitur, quo*

Act SS. Maii sub die 21. ex Cartul. Arelaten. pag. 38.

„ *ejus ossa in Ecclesiam Sanctæ Crucis translata fuerunt*.]

Floruit etiam hoc Sæculo S.Gildas, Sapiens dictus, de quo Anonymus Monachus Ruyensis, in illius vita, ista habet: [Corpus vero Sancti viri, cum Hymnis, & Laudibus, ad suum Monasterium deferentes, maxima multitudine populorum prosequente, cum gaudio, & lætitia magna, quoniam Patronum, & Advocatum magnum patriæ suæ, & apud Dominum intercessorem invenerant. *Dies autem, quæ est Quint. Idus Maii, ab illo tempore, usque ad præsens tempus celebris, colitur, & servatur apud Provinciales Venerenses. Plurimas etiam in illa die solitus est Dominus facere virtutes, ad ejus sepulcrum, sicut & ipse oculis nostris vidimus*.] Sic ille:

Act. SS. Januar. Tom.2. sub die 30. Vit. c.5. pag 964.

His verò magis perspicua etiam ea sunt, quæ, ex Actis S. Aviti Abbatis Micianensis, scriptis, (ut putat Henschenius) ab Auctore ferè cœvo, habentur. Circa annum 527. S. Avitum floruisse idem scribit, apud quem ista recitantur.

[Accepto itaque sacratissimo corpore, animis gaudentibus ad destinatæ, Dei providentia, deferunt illud ad locum sepulturæ. Ubi ergo supernæ pietatis placuerat consilio, venerabile tumulatur, corpus, (Aurelianis). Tunc totius Regni incolæ, S. Aviti memoriam cœperunt, cum summa reverentia, ut dignum est, colere &c.]

Act. SS. Junii sub die 17. pag. 358. Vit. cap. 4. n.8.

Quid autem cuidam acciderit, qui ejusdem Sancti Aviti annuam solemnitatem celebrare contempsit, haud multo post ibidem narratur his verbis [Post obitum Sanctissimi Viri, *cum depositionis ejus annua, summo honore coleretur dies, aliis tantæ solemnitati venerationem devotissimè exhibentibus, unus Civium vineam pergebat excolere*. Qui cum à pluribus, cur *huic festo religionem* „ *præbere renueret*, vehementissimè increparetur, voce respondebat tumida, quem venerabantur, etiam labori operam dedisse. Non ergo veritus, quod dispofuerat irreverenter oppetere, cum primo terram ictu sulcaret, retorta post tergum cervice, habuit experimentum iniquè se gessisse; certo enim patebat indicio, quod ob meritum temeritatis, & irreverentiæ, hujusmodi damnaretur clade. Tandem apud se quid egerit recogitans, & quod jure acciderit revolvens, *Beatissimi Aviti Basilicam* tali effectus incomodo, quantocius adire festinabat; ubi orationi aliquandiù devotus insistens, solita Conditoris omnium miseratione, & ejusdem Sanctissimi Patroni interventione, ad gloriam, & laudem Dei, pristinæ salutis jucundo renovatur munere.] Sic ibi: Quod quidem, de Gloria Confessorum, etiam S. Gregorius Turonensis narrando confirmat.

Ibid. ut sup. numer. 24.

S. Greg. Turon. de Glor. Confess. cap. 90.

At

At dignum plane erat, ut qui Sanctorum reliquias honorificè transtulerat, & in eorum honorem Basilicas construxerat; & Basilicam in qua corpus suum reconderetur, haberet, & annuam ejusdem solemnitatem, Omnipotens Deus, etiam miraculis decoraret. Quod quidem obtinere meruit S. Fridolinus Abbas, qui sub hujus Sæculi initium, circiter, nempè annum 507. vixit. De illo namque, apud Bollandianos narratur, *quod corpus S. Hilarii transtulit, ejusque Ecclesiam restauravit*. Et capite tertio vitæ ejusdem, dicitur: [Quod *in Germaniam abire jussus, varias ibi, in S. Hilarii honorem struxit Ecclesias*.] Libro demùm ipsius vitæ 2.cap.2., dum recolitur miraculum, ad ejusdem Sanctissimi Abbatis sepulcrum patratum; illius anniversaria solemnitas, & ad illius honorem ædificata Basilica memoratur: nam dicitur: [Interea (Paralytico) sic debilitato, *affuit* „ *S. Fridolini festivitas*. Ergo ad suam Basilicam, undique ac- „ currente, ut sæpius, innumerabili populorum caterva, pro „ sua impetranda clementia, *allatus est idem Paralyticus, in ean-* „ *dem Ecclesiam &c.*]

Act. SS. Martii Tom. 1. die 6. pagin. 435. capit. 2. Lib. 1. Vit.

His verò, quæ de reliquiis Sancti Deodati Abbatis paulò antè retulimus, ad ostendendum, quanta veneratione, quæcumque ad Sanctos, qui Martyres non extiterunt pertinuissent, fuerint prosequuta; addere visum est, quæ de Sanctis Hospitio, & Lupicino, æquè reclusis, monumentis tradita reperimus. S. Hospicii, qui, ex Paperbrochio floruit circa annum 580. S. Gregorius Turonensis meminit lib. sexto Historiar. cap.7. ubi narrat, quod cum è vivis Hospitius excessisset. [Adveniens Hustadius „ Episcopus, beatum corpus studiosissimè sepulturæ manda- „ vit &c.]. Et libro, de Glor.Confessor. in quo ista habet. [Fuit „ in regione Niciensi Hospitius magnus Dei famulus, qui multis „ virtutibus præditus, ex hoc mundo migravit. Cumque sepel- „ liretur, quidam juxta ipsum sepulcrum, *manum ponens, parum-* „ *per pulveris elevavit*. Quod in linteo involvens rudi, secum su- „ stulit. Progressusque postridiè navem, quæ Marsiliam ire pa- „ rabat, offendit in littore; sed hic Lirinense Monasterium ex- „ petere cupiebat. Viri igitur, quorum erat navis, Judaica er „ à stirpe progeniti. Qua existente causa, noluit vir ir[...]ane „ naucleris, quæ ferebat. Denique postquam progr[...]dicare „ Lirinense Monasterium devenerunt, navis in me[...]ssi contra „ stitit, flantibusque ventis, nulla movebatur [...]tio pelagi re- „ tibus verò Judæis, quid hoc esset; homo ille [...]n parte: stupen- „ dicens Reliquias B. Hospicii mecum hab[...]eo, & nunc Lirinum „ adire desidero: quod vobis indicare [...]metui. Nunc autem scio, „ quia ejus virtute retinetur navis vestra; nec hinc moveri prorsus.

S. Greg. Turon. Lib. 6. Hist. c. 7.

Idem de Gloria Confess.

„ ſus potuerit, niſi conſenſum illuc præbeatis quò ego ire diſpo-
„ ſui. Quod audientes viri, ſtupore permoti, mutatis ventis,
„ flante vento ſecundo, jam viro in Inſula Lirinenſi depoſito,
„ quò voluerunt liberè abierunt]. Hæc Gregorius.

Act. SS. Maii ſub die 21.

De ipſo autem pulvere, ſubdit Petrus Joffredi apud Paperbrochium: [Monachi autem Lirinenſes, *pulverem, illum, ex*
„ *S. Hoſpicii tumulo læti ſuſcipientes, inter cæteros Sanctorum reli-*
„ *quias repoſuerunt*: unde inter alios ejus Monaſterii tutelares
„ conſueverunt nomen S. Hoſpitii frequentare.]

S. Greg Turon. de vit. PP. c. 13. It apud Bollant. Act. SS. ſub die 24. Iunii pag. 818. num. 5.

Aliud de S. Lupicino, qui hoc ipſo ſæculo vixit, recitat pariter S. Gregorius Turonenſis, his verbis. [Tunc omnes, (ubi
„ mortuum conſpexerunt), in fletu proſtrati, alii plantas oſcu-
„ lantur, *alii fimbrias veſtimenti diripiunt, alii de pariete, Beatum*
„ *ſanguinem, qui ab ejus ore fuerat projectus, inter ſe certantes excu-*
„ *dunt. Miſerum ſe quique dicebat, ſi immunis ab ejus pignoribus di-*
„ *ſceſſiſſet. Teſtis eſt hodie quoque, & ipſe paries, qui tot foſſulis patet,*
„ *quot ab ore Beati Confeſſoris ſputus emeruit; Teſtis eſt, & ipſe Cana-*
„ *lis, de quo vir Beatus aquam ſumpſit ad uſus, quem fideliter oſculantes,*
„ *hauriunt ſanitatem. Jam vidi ergo multos, qui evulſos à pariete ſa-*
„ *crati oris ſputos, in diverſis infirmitatibus ponentes, meruerunt ac-*
„ *cipere medicinam*.] Sic ibi.

S. Greg. Magn. Dialog. Lib. 2. cap. 37. pag. 145.

Hoc item ſæculo ad ſuperos evolavit S. Benedictus Abbas, de quo S. Gregorius Magnus, hæc narrat. [Sepultus verò eſt in
„ Oratorio Beati Joannis Baptiſtæ, quod deſtructa Ara Apolli-
„ nis ipſe conſtruxit]. Additque ſtatim; [Qui & in eo ſpecu,
„ in quo prius habitavit, nunc uſque, ſi petentium fides exigat,
„ miraculis coruſcat.] Quibus profectò verbis haud dubio ſignificare voluit, non tantum ſepulcrum, in quo vir Sanctiſſimus tumulatus erat, ſed locum etiam, quem incoluerat, frequenti fidelium concurſu veneratum fuiſſe; quorum cultum, religionemque Deus multiplicibus prodigiis commendabat.

S. Gregor. Regiſt. Epiſt. 19. pag. 68.

Ipſe verò Sanctus Gregorius, Romæ purgata ab Arriana labe Baſilica in Merulana, ut Catholico ritui Deo dicaret, de reliquiis S. Severini, quem præterito Sæculo, auctoritate Gelaſii Papæ, è Norico Neapolim tranſlatum retulimus, ad ſe tranſmitti præcepit, ſcripta ad Petrum Campaniæ Subdiaconum ſequenti Epiſtola: [Cor noſtrum pia divinitatis inſpiratione com-
„ pungitur, loca quondam execrandis erroribus depravata, in
„ Catholicæ religionis reverentiam dedicare. Quia igitur Ec-
„ cleſiam poſitam juxta Domum Merulanam, Regione tertia,
„ quam ſuperſtitio diù Arriana detinuit, *in honorem S. Severini*
„ *cupimus conſecrare: experientia tua reliquias B. Severini, ſum-*
„ *moperè debita cum veneratione tranſmittat, quatenus quæ noſtris*

ani-

„ *animis* perficienda decrevimus, implere, omnipotentis gratia „ suffragante, possimus.]

Sanctissimus idem Pontifex Benenato Fundanitano Episcopo mandavit, ut Oratorium, in honorem præfati S. Severini, ac Julianæ Martyris consecraret. [Januaria religiosa fœmina, (ad „ eum scripsit) petitoria nobis insinuatione suggessit, quod ha- „ betur in subditis in Massa Furiana juris sui Oratorium, se, pro „ sua devotione fundasse, *quod in honorem Sanctorum Severini* „ *Confessoris*, & Julianæ Martyris desiderat consecrari. Et „ ideò &c.] *Idem. Epist. lib. 7. epist. 86. pag. 270.*

Et pro eadem re, ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum, hæc etiam scripsit: [Januaria religiosa fæmina, Sanctua- „ ria *Beatorum Severini Confessoris*, & Julianæ Martyris, oblata „ petitione sibi postulat debere concedi: quatenus in eorum no- „ mine Oratorium, propriis sumptibus constructum, possit so- „ lemniter consecrari. Et ideò, Frater charissime, præfatæ „ Januariæ desideriis, ex nostra te præceptione convenit obbe- „ dire: ut devotionis suæ in consecratione, quam postulat, po- „ tiatur effectu.] Sic Gregorius, in honorem Sanctorum, qui Martyres non fuerant, & Ecclesiam consecrat, & aliis, ut consecrent mandat; atque ad id sacras ipsemet eorumdem reliquias, vel ad se transmitti, vel aliis tribui imperat. *Idem Ibid. epist. 87. pag. ead.*

C A P. X I X.

Sanctæ Virgines, ac Mulieres non Martyres, Sæculo eodem suppari cultu exornatæ.

IIsdem planè honoribus Sanctæ quoque Mulieres hoc Sexto Sæculo prosequutæ sunt. Quare, quæ hoc tempore floruit Sancta Cæsarea Virgo, à cœvo eidem Scriptore Venantio Fortunato indistinctè inter cæteras Sanctas, & Virgines Martyres recensetur. En, quæ de illa canit:

(His Paulina, Agnes, Basilissa, Eugenia regnant,
„ Et quascumque sacer vexit ad astra pudor.
„ Felices quarum Christi contingit amore
„ Vivere perpetuo nomine scripta libro.
„ *Has inter comites conjuncta Cæsaria fulget*,
„ *Temporibus nostris Arelatense decus*.)

Venant. Fortun. lib. 8. carm. 4.

Vixit hoc pariter Sæculo, obiitque sub anno Christi 523. Sancta Brigida virgo, dicta Taumathurga, de qua ista habet Bollandus: [Stephanus vit. Societ. Jesu, in vindiciis veteris Scotiæ lib. 3. *Act. SS. februar. Tom. 1. sub die 1. in Comm. prævio §. 1. num. 3.*

„ lib. 3. cap. 12. ista habet. Inter Sanctos, qui Germaniæ sunt „ speciales Patroni, Brigidam recenset Cratopolius, dicens in „ Germaniam illam esse celebrem &c. *Nam, ut alia indicia non essent, satis esset, quod nulla sit hodie, neque fuerit à mille ferè annis Ecclesia Cathedralis, aut Diœcesis Catholicorum in ea regione amplissima, & vastissima, ubi non quotannis, ad primum Februarii, publicè in Choro, & Altare dicatur* de Brigida Virgine officium, sive pre- „ ces Canonicæ, & Sacrum Missæ celebretur &c.] Quod quidem statim ab ipsius Sanctæ Virginis obitu cœptum, idcircò nemo inficiari poterit.

Præclaræ etiam Reginæ Radegundis, quæ hoc pariter Sæculo, ad cœlestia regna migravit, pluribus à Deo, vivens, ac mortua illustrata miraculis, sacrum corpus, ac sepulcrum, fideles eximia religione venerati sunt. Ipsius funus, sepulturamque se curasse, Gregorius Turonensis narrat. Sanctissimæ ipsius vitæ librum primum, quem toties memoravimus, Venantius Fortunatus Pictaviensis Episcopus scripsit: alterum Bandoninia, ejusdem Sanctissimæ Reginæ æqualis, exaravit, quæ ubi pluribus de ipsius sepultura egit, ubi narravit tumulo ejus, à Gregorio, quem diximus Turonensi, operculum minime impositum fuisse: [Ita- „ que, (addit) liberè cereos ad eam adferebant omnes, sepul- „ crum circumstantes; & singula suis cereis nomina sua inscri- „ pserant, dabantque cereos suos per ordinem uni è famulis. Et „ ecce existit contentio in populo, aliis dicentibus cereos illos in „ ejus sanctum sepulcrum mittendos esse, aliis id negantibus; „ Interim, è pueri cereos tenentis brachio, unus exiliens, & po- „ pulum omnem conscendens, in sepulcrum ad pedes Beatæ se „ dimisit, litem omnem eo ipso dirimens. Inspecto cereo, in- „ ventum est nomen Calvæ in eo scriptum. Ea re perspecta, „ Episcopus, & plebs omnis, Beatæ Radegundis virtutem admi- „ rantes, Dominum benedixerunt.

S. Greg. Turon. de Glor. Confess. cap. 96.

Vit. S. Radegund. lib. 2. apud Surium t. 4. pag. 644.

„ Quæ verò post ejus decessum, eo in loco declaratæ sint vir- „ tutes, & edita miracula; quot Dœmoniaci liberati, quot pulsis „ febribus curati, quis vel numerare sufficiat? A Burgundia cum „ Episcopo quodam venit Pictavium ejus Abbas Abbo nomine. „ Is magno illic dolore dentium, nocte, & die clamores edebat, „ mortem adventare cupiens, ut posset tanto levari cruciatu. „ Incidit autem ejus animo, Deo inspirante, ut se curaret, in „ Sanctæ Radegundis Basilicam perduci. *Ingressus intro, cum „ fide se ante sepulcrum humi prosternit, mortem præ oculis habens, „ operimentum, sive pallam tumuli mordicus apprehendit*, & qui se- „ ptem diebus, nec libum sumpserat, nec somnum capere po- „ terat, ab illo morsu somno corripitur, doloreque fugiente, „ sanus abit ad hospitium. Ha-

„ Habet hoc consuetudo, ut *in Feriis B.Hilarii Episcopi, re-
„ liqua Monasteria circumadjacentia, in mediam usque noctem illic
„ vigilias celebrent*; à media verò nocte singuli Abbates cum suis
„ fratribus, ad sua revertantur Monasteria, nocturnas preces
„ persoluturi; itaque cum in Beati Antistitis Basilica vigilarent,
„ toto illo noctis spatio, energumeni clamabant. In iis duas
„ fœminas dirè exagitabat malus Dæmon, unam præsertìm, ad
„ cujus fremitum tota Basilica tremebat. Abscedente autem
„ indè Venerabili Arnegisilo *Abbate Basilicæ Beatæ Reginæ Ra-
„ degundis*, & cum suis Monachis, ad suam Basilicam redeunte,
„ fœminæ illæ clamabant post eos, & ingressæ *in Basilicam*, vo-
„ ciferantes rogabant,ut Domina Radegundis eis parceret.Cum
„ ergò matutinæ preces dicerentur, altera sanata est, quàm Dæ-
„ mon ter quinis occupaverat annis: altera ad tertiam *ante Ba-
„ silicæ fores* liberata.

„ Quam larga est, & dives misericordia Dei, ut suos faciat
„ trepidare, & loca Sanctorum inquirere? Virtutum largitor,
„ per suos fideles dispensatim suam declarat potentiam. *Alii
„ enim liberati sunt in Basilica Sancti Viri, alii in Basilica D. Rade-
„ gundis*: [*ut quorum erat par gratia, virtus quoque indissimilis osten-
„ deretur. Quisquis etiam usque ad vitę desperationem male habet,
„ si pallam inferiorem Altaris in aquę calicem intingat, potumque
„ illum hauriat, mox somnus ei accedit, morbus abscedit, Christo lar-
„ giente*:] sic illa.

C A P. X X.

In Sanctos, tàm Viros, quàm Mulieres non Martyres, ipsomet Sæculo Orientalis Ecclesiæ religio.

QUoad Græcos unum, & alterum afferre sufficiat exemplum. Et in primis illud S.Theodosii Cœnobiarchæ, qui vixit circa annum 511., cujusve res gestæ, (inquit Baronius) omni-acceptatione dignissimæ, extant à Metaphraste, ex antiquioribus monumentis descriptæ: quas inter, hæc recensentur [Cum

Baron.sub die 11. Ianuar. Metaph. apud Sur. Tom. 1. pag. 258.

„ autem fama repentè in omnem locum pervasisset, quod &
„ Magnus Theodosius ad suum Dominum jàm excessisset. Pe-
„ trus ille Magnus, qui tunc Apostolicam Sedem tenebat Hie-
„ rosolymis, ille, inquàm, Petrus, cujus magna quidem fuit fa-
„ ma, famam autem superabat virtus, accedit cum multis aliis

 „ Epi-

„ Episcopis ad sepeliendas reliquias. Undique autem concur-
„ rebat, & multitudo Monachorum simul, & eorum, qui simul
„ promiscuè versantur cum aliis. *Omnes autem multum pone-*
„ *bant studii, ut & partem aliquam attingerent, aut Sanctorum il-*
„ *lius Capillorum, aut Sacrę Vestis, aut certè, ut vel solum appropin-*
„ *quarent, & beatum illum vultum viderent: & de eo tanta certa-*
„ *bant contentione, ut ne diu quidem permitteretur sepelire reliquias,*
„ *sed melius* existimaretur prætermittere justa, quæ fiunt *mortuis.*
„ Deinde verò tandem, permittente multitudine, honorificè
„ simul, & splendidè illud venerandum, & Cœlis dignum cor-
„ pus terræ mandatur, & contegitur: non ut quod oporteret
„ quidem abdi, & latere, sed quod servabatur potius piis, tam-
„ quam opes, & thesaurus.]

Exemplum aliud sit Sanctæ Marthæ Viduæ, Matris S. Symeonis Stylitæ Junioris, quæ sub anno 551. floruit. Uterque enim, Filius, videlicet, & Mater, vivens ille, nempe Symeon, & Martha jam defuncta, de condigno sibi sepulcro constituendo cogitarunt. Post obitum namque Marthæ: [Nulla requies, (in-
„ quiunt S. Symeonis Acta) concedebatur, cunctis ferè fratri-
„ bus. *Beata Martha in variis signis se afferente, ac quietem inter-*
„ *turbante, quo sibi Oratorium excitaretur, intra quod translatę*
„ *cum urna reliquię reponerentur.* Mandabat etiam hæc filio suo
„ significari. Ille enim quamvis idipsum ex apparitione statuis-
„ set curandum, cohibebat, tamen se certis de causis illo tem-
„ pore, nec volebat initium dare substructioni; partim, ne ten-
„ tarentur animi, quorum jàm ex simplicioribus, ac infidelibus
„ vanas sibi cogitationes fingentibus, ac detrahentibus de fama
„ Symeonis iniquè; *partim quod desideraret ædem unam moliri sibi,*
„ *atque Matri, in qua uterque loco non separati conderentur, quem-*
„ *admodùm, & contigit aliquando post &c.*] Sic ibi post, quæ longo dictamine novæ Ecclesiæ ædificato, atque in illam Reliquiarum Sanctæ Marthæ translatio refertur.

Act. SS. Maii Tom. 5. sub die 24. pag. 410. num. 46.

De eadem Janningus in Commentario prævio, ad illius Acta, sic scribit: [Confirmatum quoque habemus Marthæ *cul-*
„ *tum anniversarium*, ex Vit. ipsius num. 71. cum dicitur, *quod*
„ *ad primum Beatę Marthę anniversarium celebrandum* ultrò con-
„ veniens populi multitudo, cum cereis, & lampadibus, oppor-
„ tunè occurrerit ad celebrandam simul de Ligno Sanctæ Cru-
„ cis, Hierosolyma advecto, prædictæ Crucis exceptionem, in
„ Ecclesia, per Sanctum ædificata. Novam deindè Ecclesiam
„ ædificari permisit Sanctus, in eamque transferri Matris suæ
„ arcam, uti narratur toto cap. 6. Vitæ; & ex eo tempore pluri-
„ bus claruisse miraculis dicitur ab Auctore, non solum coævo,

Act. SS. ut supr. pag. 402. num. 5.

„ sed,

„ ſed, ut præſumere licet, plerumque teſte oculato.] Hæc Janningus.

C A P. X X I.

Septimo Sæculo Sanctorum Epiſcoporum non Martyrum veneratio, ac cultus, in Latina Eccleſia, exemplis pluribus adſtruitur.

EAdem, ac prioribus Sæculis perſeveravit demùm Sæculo ſeptimo, ergà Sanctos, qui Martyres non extitiſſent, Catholicæ Eccleſiæ Religio. Quod quidem ea oſtendunt, quæ de Sancto Fructuoſo Bracarenſi Archiepiſcopo, qui ponitur, ſub anno 663. narrantur apud Henſchenium, in ipſius Vita, ab Anctore coævo conſcripta. [Ad Sacratiſſimum, (inquit is) Sancti Cor-
„ poris ejus ſepulcrum, euntibus cunctis, perſeverant ſigna
„ virtutis; nam, & Infirmi ibi ſanantur, & Dæmones effugan-
„ tur, & quicumque merens ejus invictum poſtulaverit auxi-
„ lium; ſtatìm plenum à Domino petitionis ſuæ conſequitur fru-
„ ctum; præſtante &c.

Act. SS. Aprilis ſub die 16. Vit. capit. 4. pag. 436.

Plus autem quàm venerationis ergo, ad Sanctorum Sepulcra confluxiſſe, meritò cenſeri debet, ad eorum cultum augendum, ipſorum ornatui, venerationique res, ac perſonas dicaſſe. Quod quidem S. Tozzo Epiſcopus Auguſtanus, circa annum 661. cumulatiſſimè præſtitit; ut apud Bollandianos verbis his adnotatum reperimus, ubi de S. Magni, æquè Auguſtani Epiſcopi reliquiis agitur. [Vir ergò Venerabilis Epiſcopus Tozzo, poſt
„ obitum Beati Patroni Magni &c. *cuſtodiens Sanctum Corpus*
„ *ejus, cum Clericis, & Officiis Divinis, atque luminaribus uſque ad*
„ *obitum ſuum*. Qui permanens, poſt diſceſſum B. Magni in
„ Epiſcopatu annos quinque, & menſes tres Sept. Kalend. Fe-
„ bruarii, vitam Sæcularem finivit, *tradens ante* obitum ſuum
„ hæreditatem ſuam, ad Sepulcrum B. Magni, cum firmitate, &
„ adſtipulatione, ſecundùm legem Alemanorum &c.]

Act. SS. Ianuar. Tom. 2. ſub die 16. Vit. cap. 3. §. 16. pag. 59.

Inter præclara verò geſta S. Eligii Epiſcopi Noviomenſis, qui, ut Sigebertus habet in Chronico, ſub anno 665. diem ſuum obiit, illud minimè prætermittendum, duxit S. Audoenus in Vita ipſius, quod: [Vir Beatus, (inquit), inter cœtera bonorum
„ operum inſignia, multa Sanctorum, auro, argentoque, & gem-
„ mis fabricavit ſepulcra: Germani Pariſienſis Epiſcopi, Seve-
„ rini Abbatis Agaunenſis &c.]

Segebert. in Chron. S. Audoen. Vit. S. Eligii lib. 1. cap. 32.

Haud minori ſtudio tamen, à Sancto Ansberto Rotomagenſi

 Ar-

Archiepiscopo, præfati Sancti Audœni, (qui sub anno 689. ; ex hac vita migravit) sepulturam curatam fuisse, sub anno 693. ; Aigrardus Monachus, in ejusdem S. Ansberti Vita refert, dùm scribit : [Inter reliqua autem bonitatis suæ opera, quæ in Episco-
„ patu gessit (Ansbertus) qualitèr etiam Venerabile Sancti An-
„ tistitis Audœni Corpus, Christo propitio, in eminentiorem
„ locum Ecclesiæ S. Petri, quæ sita est in Suburbano Urbis Ro-
„ tomagensis, transtulerit, narrare aggredimur. *Cum itaque de*
„ *diversis Provinciis plures congregasset Artifices*; *condidit super*
„ *ejus Sepulcrum* repam miræ magnitudinis, pretiosis metallis,
„ auri, argentique decoratam, gemmisque pretiosis adorna-
„ tam, sicut usque in præsens humano visui apparet:] Pergens-
„ que narrare S. Audœni Corporis translationem. Constituta
„ ergò die, (subdit) in Solemnitate Ascensionis Domini Christi,
„ Sacerdotum, ac Monachorum, reliquorumque Clericorum
„ adunata multitudine, ipsum Sacrum Corpus levari fecit cum
„ reverentia magna, & hymnorum laudibus Clero personante,
„ atque in absida præfati S. Petri Apostoli Ecclesiæ recondidit
„ feliciter, cum gaudio, & honorificentia magna &c.]

Apud Sur. tom. 1. sub die 9. febr.

Acta S S. febr. To. [illegible] sub die 9. Vit. cap 7. n. 29. pag. 353.

At quem Sancti Audœni corpori, Sanctus Ansbertus honorem detulerat ; haud multò post ipsum accepisse (qui sub anno 695. ad Cœlos evolavit) ; à præfato Monacho Aigrado pariter narratur. [*sepellierunt eum*, (inquit) *cum decore*, *& honorifi-*
„ *centia magna*]. Et statìm addit. [*Cum verò lampas, liquore olei*
„ *plena, ante ejus Sepulcrum, à Fidelibus accensa fuisset*, & die, no-
„ ctuque indesinenter, non solùm arderet, sed etiam redunda-
„ ret ; & hoc factum fratres mirarentur, ac Divinæ deputarent
„ gloriæ : posuerunt aliud vas, in quo distillantia ejusdem olei
„ divinitùs dati, refunderentur ; ò magna, & inclyta, Pastor
„ Ansberte clarissime, & felix gloria &c.]

Ibidem ut supr. Vit. c. IX. pag. 355. num. 36.

Ibid. num. 37.

Anniversariam verò diem, in qua, quam memoravimus S. Audœni Corporis translationem S. Ansbertus celebraverat, fuisse deinde festivam, idem qui suprà Scriptor testatur. [Facta-
„ que (dicens) est deinceps, per succedentia tempora, in com-
„ memoratione Beati Pontificis Audœni, illius Urbis Civibus
„ *hæc dies solemniter celebris &c.*]

Ibidem ut supr. cap. 7. num. 30. pag. 335.

Præter Basilicam autem, quam in honorem Sancti Germani Antisiodorensis Episcopi, ipsius Successor, ejusdemque Ecclesiæ Episcopus S. Palladius, qui hoc Sæculo septimo vixit, construxit, ornavitque ; ut quotannis illius Natalitia agerentur, quid fecerit, his verbis apud Bollandianos expenditur : [Fecit, *&*
„ *Basilicam S. Germani in pago Antissiodorensi*, in loco, qui dicitur
„ Vercisus, & nobili testudine, ex musivo, & auro decoravit.

Act. SS. April. Tom. 1. sub die 10. pag. 855. num. 2.

„ ravit. Hic etiam constituit, ut *per singulos annos*, *Festivitate*
„ *S. Germani, quæ celebratur die Kalendarum Octobris, expleta Mis-*
„ *sarum solemnitate, ob amorem, & reverentiam tanti Præsulis, à ma-*
„ *nu Episcopi centum solidos recipiant Canonici Basilicæ S. Stephani:*
„ *quatenus alacrioribus animis delectet eos, per succedentia tempora*
„ *ejusdem solemnitatis celebrare gaudia.*]

At præclaro miraculo, exeqnias primùm, anniversariam deindè solemnitatem Sancti Arigii, seu Aredii Episcopi Vapicensis, qui post annum 611. floruit comprobatam Deus voluit. Rem narrat, ex Mss. Silviniacensi apud Paperbrochium Jacobus Sirmundus Societatis Jesu, his verbis: [Obiit autem (Arigius) ipso die Kalend. Maii, & continuò advenit Ursus de re- *Act. SS. Maii Tom. 1. sub die 1. pag. 111. num. 15.*
„ motis montibus, ipse, qui quando de Roma redibat Vir San-
„ ctus, concito ictu percussit, & devoravit bovem subjugatum
„ plaustro, in quo cum sarcinulis erant reliquiæ Sanctorum
„ Apostolorum Petri, & Pauli, & multa Patrocinia Sanctorum,
„ quæ ibi erant reperta; & denique Caligæ Beatæ Mariæ semper
„ Virginis. In Christi autem nomine, vocavit Episcopus Ursum;
„ qui inclinato occurrit capite, & jugo ligatus, ad feretrum
„ onera perduxit Vapiaco, & vixit usque Senio. *Ipse autem ob-*
„ *viavit corpori, & singulis annis, ad ipsam Sanctam Solemnitatem*
„ *veniebat, usque dùm canus vixit.* Et multi gaudebant, qui vi-
„ debant eum, & victum præbebant ei. Amen.]

Plures etiam hoc septimo Sæculo, in honorem diversorum Sanctorum non Martyrum, & ab uno quidem Episcopo, excitatas Ecclesias reperimus: Utì de S. Virgilio Arelatensi Episcopo legitur, apud Bollandianos, in illius Vita, in qua ista recitantur: [Basilicam, in honorem SS. Stephani Protomartyris, & *Trophy-* *Act. SS. Maii Tom. 1. sub die 5. Vit. c. 2. pag. 401.*
„ *mi* construxit, & consecravit.] Et haud multò post ibid. n. 10.
„ [Dedicavit autem idem Beatus Antistes, Basilicam, quam
„ construxit, in honore Salvatoris Domini, & *Beati Honorati*
„ *Confessoris*; atque ibidem ordinem constituit Monachorum ser-
„ vientium Deo.]

Viciſſim verò, sub invocatione S. Lupi Cabillonensis Episcopi, qui sub hujus Sæculi initium, ad Superos evolavit, plura loca Deo dicata fuisse; disertè in illius Vita asseritur, à paulo ante memorato Jacobo Sirmundo edita, hoc modo: [Notitia, *Act. SS. Ian. tom. 2. sub die Vit. cap. 7. pag. 718.*
„ nempè virtutum ejus, longè, latèque diffusa, cœperunt multi
„ undequaque confluere, & *votorum suorum munuscula deportare.*
„ *Plurimi diversis in locis Oratoria construentes, nominis ejus titulo*
„ *dedicarunt.*] Hæc ibi.

CAP.

CAP. XXII.

Sæculo eodem Sanctorum non Pontificum, ac Virginum non Martyrum exemplis, cultus comprobatur. Græciæ Ecclesiæ exemplo altero, idem ostenditur.

QUI Episcopi non extiterunt hoc septimo Sæculo Sancti, pari etiam, ac illi honore in Ecclesia perfuncti sunt. Quod quidem, ex his, quæ de Sancto Turseo Venerabilis Beda narrat, facilè intelligere est: Dicit enim, de eodem agens, qui ad Superos sub anno 654. evolavit. [Cujus Corpus Herconvaldus Patricius accipiens, servavit in porticu quadam Ecclesiæ, „ quam in Villa sua Perroma faciebat, donec ipsa Ecclesia dedicaretur. Quod cum post dies viginti sex esset factum, & „ corpus ipsum, de Porticu ablatum *propè Altare esset recondendum*, inventum est ità illæsum, ac si eadem hora, de hac luce „ fuisset egressus. Sed & post annos quatuor *constructa domuncula cultiore receptui corporis ejus, ad Orientem Altaris, adhùc sine macula corruptionis inventum, ibidem digno cum honore translatum est*, ubi merita illius multis sæpè constat, Deo operante, „ claruisse virtutibus.]

Ven. Bed. Eccles. Hist. Anglor. liber. 3. c. 19. opum Tom. 3. pag. 95.

Quo ad Sanctas Mulieres, illud innuere sufficiat, quod copiosissimè apud Bollandianos habetur, de S. Gertrude Abbatissa Nivellense, quæ ad Superos, sub anno 664. evolavit. Vitæ siquidèm ejus cap. 4., ubi agitur, de Agnete Abbatissa, quæ fuerat ab eadem Beata Gertrude enutrita; [Ipsa autem, dicitur, posteà *ædificavit Basilicam, in honorem Christi Virginis Gertrudis*]. Narraturque Miraculum ea occasione patratum. Ibidem etiam aliud Miraculum refertor, *de lampade*, aliud *de lecto*, in quo ipsa Sancta Virgo diem clauserat extremum. Num. etiam 19. *De Festivitate* agitur ejusdem Sanctæ Gertrudis, miraculoque super eum ostenso, qui eamdem celebrare contempsit.

Act. SS. Martii tom. 3. sub die 17. pag. 594.

Græcæ demùm Ecclesiæ, præclarum sat siti exhibere testem, S. Joannem Eleemosynarium, cujus eximia gesta Leontius Neapoleos Cyprorum Episcopus, scripto tradidit, & Anastasius Bibliothecarius, ex Greco in Latinum transtulit; quorum fidei, (inquit Baronius) subscribunt Patres, in S. Synodo Nicena secunda Act. 4., & S. Ioannes Damascenus, de Immaginibus. Orat. 3. Ex hac vita verò S. Joannes, circa annum 610. migravit, sepulturæque datus est honorificentissimè, in Oratorio, aliàs me-

Baron. in Not. ad diem 23. Ian.

memorati, S, Tychonis. Accidisse autem, cum sepelliri debuit, quod suprà Sancto Ambrosio advenisse retulimus, Leontius refert, his verbis.

[Jacebant in quodam tumulo, ubi & justus hic reponen- *Leont. in Vit. S. Ioan. Eleemos. cap. 50.*
„ dus erat. duorum quondam Episcoporum, qui ante dormie-
„ rant, Sancta veracitèr Corpora Sanctorum: quæ & in natura exanimi interim degentia, temquam si viva revera essent, æqualem Sancto honorem tribuerunt. Cum enim beati Corpus, in-
„ ter duos illos componendum esset, honorantes Summum Pa-
„ storem Pastores, & multam ejus fiduciam apud Deum reve-
„ rentes, simul, & mirantes, Dei jussione, tamquam vivi, cor-
„ pora sua separantes, in medio Sacrum hunc susceperunt, *ho:*
„ *norem, & ipsi ei præceptione Dei, sicut à Deo honorato offerentes -*
„ *& omnibus statìm ostendentes, quæ à Deo ei donata est gloriam, at-*
„ *que sublimitatem*. Quod maximum, & gloriosissimum Mira-
„ culum, non unus, neque decem, neque centum viderunt; sed
„ omnis turba, quæ convenit, ad gloriosam ejus Sepulturam].

At cum Leontius, quem Scriptorem gestorum S. Joannis Eleemosynarii supradiximus, non nisi ad annum circiter 620. vixisse habeamus: hinc, quæ de anniversaria ejusdem solemnitate deindè refert, non longè ab illius obitu gesta, (quidquid aliud innuere verba, frasisque qua utitur videantur), necessariò censendum est. Dicit igitur. *Morer. in dict. Hist. in verb. Ie*

[*Hymnodia anniversaria*, post multum temporis dormitionis *Ibidem ut supr. cap. 54.*
„ Sancti celebrata, in Templo superiùs memorato Sancti Tycho-
„ nis, ubi pretiosum lipsanum Beatissimi Patriarchæ Joannis re-
„ positum est. Erat autem, quæ colebatur Sacræ Vigiliæ hy-
„ mnodia annuæ recordationis Sancti miraculorum factoris Ty-
„ chonis. Is, qui est miraculorum Dominus, volens ostendere
„ omnibus quali honore servum suum, Sanctum Joannem di-
„ gnum fecerit, placuit de honorabile ejus lipsano, unguenti
„ saniferam suavitatem emanare, qua universi in lætitia freti,
„ gloriam retulerunt Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, verò,
„ scilicet Deo nostro, qui proprios Sanctos, gloria glorificat in-
„ finita.] Ista Leontius.

Finis Libri Secundi.

SS. PATRIARCHARUM,

ET

PROPHETARUM, &c.

CULTUS PERPETUUS

LIBER TERTIUS,

In quo Argumenta, contra veritatem ſuperioribus Libris aſſertam, diluuntur.

C A P. I.

Cum Eccleſia Doctores, recipiendi; non cum Doctoribus pia Eccleſiæ traditio abjicienda. Quænam ſcribendi occaſio Innocentio III. ac Bellarmino fuerit.



AGNA profectò res (ſcribebat Vincentius Lirinenſis),& ad diſcendum utilis, & ad recolendum neceſſaria, quàm etiam, atque etiam exemplorum molibus illuſtrare, atque inculcare debemus: ut omnes ferè Catholici maximè ſe cum Eccleſia Doctores recipere,non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debere.] Et id quidem, quò ad res fidei Divinæ, de quibus, uti nos in præſenti minime agimus, ſic ad ſeveriſſimam, diſtrictiſſimamque cenſuram, qua ipſæ recipiendæ agnoſcuntur, alias exteras, quæ ad piam dumtaxat credibilitatem ſpectant, nos advocare quoque, vel velle, vel voluiſſe; cordatus quiſque, qui ſcriptiones noſtras, vel parumper evolvit, facilè intelligit.

Vincent. Lerin. Adverſ. Hæreſ.

Nihilominùs, cum præter tradita Divina Dogmata, Eccleſiæ proponenti, nil præterea aliud credere velle, temerè aſſerere fortè eos pudebit, qui Catholico ſaltem nomine cenſeri volunt;

habita idcircò æqua rerum ratione, translatisque ad illa, de quibus differimus Lirinensis verbis, nos quoque dicimus; magnam profectò rem, & ad discendum utilem, & ad recolendam necessariam, ut omnes pii Catholici, maximè se cum Ecclesia Doctores recipere, non Doctoribus Ecclesiæ pias, fundatissimasque traditiones rejicere profiteantur.

Hæc autem necessariò præponenda duximus, ne quis fortè miretur, DD. quorumdā nos in re, de qua agitur sententiis, assertisque minimè adhærere, nec velle, nec posse; quod maximè nobis, nimirum, cordi sit, cum Ecclesia Doctores recipere, non verò cum Doctoribus piam Ecclesiæ credibilitatē, certissimamq; ac perpetuam ergà Sanctos non Mart. cultus praxim negare; eò magis, quod Doctores ipsi, vel cursim rem attigerint, vel alio distenti, eam funditùs enucleare agressi non sint. Vel enim eo tempore, quo scripserunt, in pace erant cuncta, erga omnes indiscriminatìm Sanctos venerationis genera, nec de iis quis ambigebat; Et qui tunc scripsit, nulla necessitate costrictus fuit, (præcipuè aliud agens, utì Innocentis III.) ut rem ab ovo, (ut dicitur) examinandam susciperet; Satisque ei fuit, ut videbimus, ex speciali tantùm, & unica observatione, id unum eruere, quod probare intendebat, Sacri, videlicèt, Missæ Canonis venerandam antiquitatem. Vel tunc scripsit, cum viceversa, Diabolico furore acti impiissimi Calvinistæ, aliarumque huic similium Sectarum improbæ pestes, facto agmine, generatìm Sanctos omnes perditissimè impetere, locoque dejicere conabantur: & qui tunc eorum impetus repellere, coercereque suscepit (puta præclarissimus Cardinalis Bellarminus), (uti ei accidere solet, qui ex improviso, imparatusque aggressus ab hoste est, qui quidquid in manus venerit, ut illum propulset, cupidè arripit, nec satis ipsi cura est, an videlicet, ense, vel gladio, vel demùm baculo, irruentem propellat, dummodò propellat), satis habuit, quacumque demùm ratione scelestos Adversariorum arcere impetus, ac conatus evertere; arreptaque, quæ primùm occurrit perpetua, fundatissimaque in Catholica Ecclesia SS. Martyrum veneratione, validissimo eo gladio, irruentes inimicos coercuit, ac confodit: eo, puto, sapientissimo consilio, quo olim Jacob fratri Esau, quem hostem arbitrabatur, occurrit dicens: [Si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.] Universalem siquidem eam cladem, ut, inquam, averteret, unam saltèm Sanctorum Martyrum turmam, ab irrumpente ea strage subducere, salvamque facere Bellarminus, pro magno habuit; & licet salutis alterius quoque sollicitus esset, tamen hujus incolumitati non adeò studiosè incubuisse

Genes. 32. n. 8.

vi-

visus est, quod fortè consideret Hagiomacorum impetu, ergà SS. Martyrum priorem turmam coercito, facilè ergà SS. Confessorum alteram compressum iri: quod certè cordatus quisque sibi suadere poterat, dùm eadem ferè, quæ Adversarii, contra SS. Martyrum cultum protulissent argumenta; ipsamet quoque contrà exhibitam, ergà SS. Confessorum venerationem in medium adduxissent.

C A P. I I.

De Sanctorum non Martyrum cultu Innocentii III. Sententia proponitur, ac perperàm explicata demonstrantur.

DEbuissent idcircò, qui post eos, de his loqui, differereque voluerunt, cuique cordi fuisset Catholicæ Ecclesiæ, ritus, pietatemque tueri, atque hostium illius temerarios ausus infringere; non cum ipsis Sectariis, qui (præfato Bellarmino teste) nobis exprobare ausi sunt: [Plurima SS. Festa esse nova]; Et una cum cultu, venerationeque Martyrum, Festa, cultumque quoque Confessorum, ad posteriora tempora trahere connituntur); Debuissent, inquàm, non quidem hujusmodi futiles excogitationes adstruere, ac tuendas, confirmandasque suscipere; imo novis coacervatis argumentis magis roborare; sed contra illos, æquè Confessorum, ac Martyrum, ab ejusdem Ecclesiæ incunabilis venerationem perpetuò in Ecclesia eadem viguisse demonstrare. Verùm, ex jis nonnulli, id non modo minimè præstiterunt, sed in Heterodoxorum impias opinationes potiùs descendentes, eò dementiæ progressi sunt, ut perperàm præfatorum Innocentii, & Bellarmini dicta interpretantes, ad posteriora etiam tempora illis, quæ iidem egregii Scriptores dissertè explicarunt, ipsorum Sententias pertrahere non dubitaverint; quod, vt palàm fiat, in medium illorum Sententiæ producantur, ac in primis Innocentii, qui ità scribit:

Bellarmin. lib. 3. de Cultu SS.

[Illud autem oportet inquiri, cur in Canone nulla fit com-
„ memoratio Gonfessorum, cum inter Sanctos eorum memo-
„ riam magnificè veneretur Ecclesia? Sed ad hoc potest pro-
„ babiliter responderi: Quod Canon priùs fuit editus, quàm me-
„ moria Sanctorum Confessorum Ecclesia celebraret. Nam
„ omnes ferè Sancti, qui commemorantur in Canone præces-
„ serunt Sylvestrum, præter Joannem, & Paulum, Marcellinum,
„ & Petrum, qui proximè successerunt. Ecclesia verò post tem-

Innocentius III. Myster. Miss. lib. 3. cap. X.

„ pus Sylveſtri, cœpit Sanctorum Confeſſorum memoriam ve-
„ nerari. Nam, & Sedes Epiſcopales, quæ juxtà diſpoſitionem
„ Beati Petri Apoſtoli, ſunt in Civitatibus ſingulis antiquitùs
„ conſtructæ, non in memoriam Confeſſorum, ſed ad honorem
„ Apoſtolorum, & Martyrum, & præcipuè Beatæ Virginis, ve-
„ terum devotio dedicavit.

Ex his, quæ ſuperioribus Libris longo dictamine attulimus, ſatis, ſuperque patere arbitramur, non quidem poſt Sylveſtrum, ut Innocentius autumat, ſed diù ante illum, imò ab ipſis Eccleſiæ primordiis, & deinceps ergà Sanctos non Martyres cultum floruiſſe. Quia tamen, re funditùs, uti erat, non explorata, Innocentius idem, & quidem non abſolutè, ſed probabiliter tantum dici poſſe putavit, poſt Sylveſtri tempora Sanctorum Confeſſorum memoriam celebrari cœpiſſe: Quis tàm vecors eſt, ut cenſeri poſſe arbitretur, ad longè poſteriora Sylveſtri tempora Innocentii dictum ritè poſſe transferri? Querit, inquam, ipſe, cur in Canone Sanctorum Confeſſorum nomina non habeantur, ſed dumtaxat Martyrum: & probabiliter reſponderi poſſe dicit, ideò non reperiri, quod editus fuerit, priuſquam Eccleſia Sanctorum Confeſſorum memoriam celebraret, conjecturæque rationem profert; quod in Canone eodem Joanne, & Paulo, Marcellino, & Petro exceptis, quotquot Martyres leguntur, Sylveſtri tempora præceſſerunt. Et quidem Marcellinus,& Petrus etiam præceſſerunt, utpotè ſub Diocletiano paſſi,& in quorum poſtea honorem Sylveſtri ævo Conſtantinus Magnus Baſilicam Viâ Labicana conſtruxit, juxtàque eam dilectiſſimæ Matris Mauſoleum erexit]. At detur, (ut dicitur) & non concedatur, poſt B.ejuſdem Sylveſtri tempus,Sanctorum Confeſſorum memoriam venerari tantum in Eccleſia cæpiſſe: Quid inde? Quid, quæſo commune habet, vel habere poteſt Innocentii hoc aſſertum cum eorum opinionibus, qui diù poſt Sylveſtrum, Sanctorum non Martyrum memoriam celebrari cæptam contendunt? Poſt Sylveſtrum, inquam, qui Seculo quarto ineunte floruit, & quintum, ſextum, ac fortè ſeptimum Sæculum, quibus, nedum eo honore, eoſdem Sanctos non Martyres ab Eccleſia proſequutos fuiſſe volunt? Ad ſuam hanc excogitationem comprobandam Innocentium ſcripſiſſe oportuiſſet, non quidem poſt Sylveſtrum, ſed poſt Leonem Magnum, Gelaſium, Gregorium item Magnum, cultum hunc in Eccleſiam invectum; at cum dixit poſt Sylveſtrum, Sylveſtrique tempus, non longè ab eo cæpiſſe, abſque dubio ſignificare voluit; neque cultum, ac venerationem præfatam, ad poſt Leonem, Gelaſium, Gregoriumque transferre voluiſſe perſpicuum eſt. Pari ſiquidèm argumen-

to,

to, si exempli gratia dicerem, post prædicationem Petri, & Pauli, in Urbe Roma, cæpit Christus Dominus ibidem coli, ac venerari, vt Deus. Dictum hoc certè verissimum, qua ratione accipiendum, intelligendumque, quæso isti arbitrarentur? Fortè, non nisi post tempora, exempli gratia, Decii, vel Diocletiani, secundo, videlicet, aut tertio dumtaxat Æræ Christianæ Sæculo, Christum Romę coli, ibidemque veneratores habere cæpisse? Quis non videt ineptam hujusmodi interpretationem, rite ab omnibus irridendam, explodendamque; & illud *post*, longam adeò temporis intercapedinem admittere, (uti revera non admisit) non potuisse? Et sic pari modo, cæperit, juxtà Innocentium, post Sylvestrum SS. Confessorum memoria in Ecclesia venerari; Quid hoc, cum quinto, sexto, ac septimo Sæculis; & cum Leonis, Gelasii, ac Gregorii temporibus?

C A P. I I I.

Nil commune habere ostenditur cum Pseudocensorum sententiis, quod de Cathedralibus Innocentius scribit. Quid sentiendum de Panthon dedicatione à Bonifacio IV. peracta, ab Innocentio eodem in medium producta.

QUod de Cathedralibus addit Innocentius, ad rem pariter, de qua disserimus, minimè spectat, nihilque penitùs cum Adversariorum excogitationibus commune habet. Esto enim; quod Cathedrales Ecclesiarum, juxta S. Petri dispositionem erectarum, solis Apostolis, ac Martyribus antiquitùs, priscisque temporibus, dicatæ reperiantur: quid tamen id, cum quinto, sexto, septimo, ac sequentibus Sæculis, quibus Sanctos, qui Martyres non fuissent, & in Canone positos, iisdemque, & Basilicas erectas, & Deo in ipsorum honorem Cathedrales etiam dicatas vidimus?

Neque verò his officiunt, quæ ad comprobanda, quæ proposuerat, statim addit Innocentius his verbis: [Nam, & in Eccle-
„ siasticis reperitur Historiis, quod S. Bonifacius, qui Quartus
„ à B. Gregorio, Romanæ Urbis Episcopatum tenebat, suis pre-
„ cibus à Phoca Principe impetrasse, donari Ecclesiæ Christi
„ Templum Romæ, quod ab Antiquis Pantheon antea vocaba-
„ tur, in quo eliminata omni spurcitia, fecit Ecclesiam Dei Ge-
„ nitricis, atque omnium Martyrum Christi.] Sic Innocentius;

Nam

Nam ſtudio prætereamus, quæ in notis, ad diem XIII.Maii, ſic ſcribit Baronius. [legi in ejus Eccleſiæ, (Pantheon antea) „ Cod. Mſs., Templum illud dicatum in primis, in honorem „ Dei Genitricis Mariæ, *omniumque Sanctorum Martyrum, &* „ *Confeſſorum*], Quæ quidem omnem Innocentii ſuppoſitionem, eo, quo à Pſeudocenſoribus ſenſu accipitur, funditùs evertit: Neminem certè latere poſſe arbitramur, qua mente, ex Eccleſiaſtica Hiſtoria acceptum, exemplum hoc Innocentius in medium protulerit; non niſi, nimirùm, ut oſtenderet, Bonifacium quoque veterum exempla ſequutum in honorem Dei Genitricis, ac SS. MM., Pantheon dedicaſſe. Verùm, vel quia Bonifacius ſic dedicavit, vel ſic dedicaſſe Innocentius ſcribit; ideò vel prior dedicavit, quia eo tempore Templa Deo, in honorem SS.Confeſſorum dicare inhibitum erat; vel dedicaſſe ſcripſit Innocentius, quod tunc non niſi Martyribus licuiſſe Baſilicas dedicare putavit? Enim verò, ſi Confeſſorum cultum poſt Bonifacium dumtaxat cæpiſſe, hoc allato exemplo, Innocentius adſtruere voluit; cur pro eo, ac diceret SS. Confeſſorum cultum poſt Bonifacium cæpit, ad tempora poſt Sylveſtrum, tot ante Bonifacium eumdem Sæcula, cultum ipſum rejecit? Deindè, quis ſanè mentis cenſere poterit, Bonifacium, qui à Gregorio Magno Quartus, ut ſcribit Innocentius Apoſtolicam Sedem obtinuit, ignorare potuiſſe, quæ in ipſa Urbe Roma à ſuperioribus Pontificibus acta fuerant; vel, ut alibi diximus, ab Anaſtaſio Secundo, qui quinto Sæculo dilabente floruerat, & intra Civitatem Romanam (ut verba Anaſtaſii adhibeamus), Baſilicam SS.Sylveſtri, & Martini à fundamentis conſtruxerat; vel à præfato Magno Gregorio, qui, & ipſe, ut vidimus, in SS. Confeſſorum honorem Templa dicavit? Extabant certè adhuc Bonifacii tempore, à ſuperioribus his Pontificibus, in eorumdem Sanctorum venerationem, hæ conſtructæ Baſilicæ, & ſi non omnes, uti veroſimile eſt, illa ſaltèm SS Sylveſtri, & Martini, quæ poſt tot Seculorum curricula adhùc perſtat. Stantibus verò illis, vel ſaltèm hac una, quis, juxtà futilem Pſeudocenſorum excogitationem, ritè eliciendum putabit, ex eo quod Pantheon, Bonifacius in honorem tantum Dei Genitricis,ac SS.Martyrum dedicavit: (ſi tamen verum ſit, quod in honorem quoque Sanctorum Confeſſorum non dedicaverit), ideò ipſum in hac dedicatione Confeſſores præteriiſſe, quod nondùm hujuſmodi honores in Romana Eccleſia, Sanctis ipſis Confeſſoribus decreti non fuiſſent?

Multò certè æquius exiſtimandum videtur, ideò in honorem dumtaxàt Deiparæ, ac SS. Martyrum, (ſi tamen, dicam ter-

tertio, Confessores etiam complexus non est), Bonifacium Pantheon dedicasse; quod in Templum ipsum inferri jusserit duo de triginta currus Ossium Sanctorum Martyrum, è diversis Urbis Cœmeteriis effossarum. ut ex antiquo Mss. Cod. tradit Baronius. Quæ Sacra Ossa, (ut ejusdem verbis utar) illùc [solemnitèr fuerè comportata, ac decentissimè collocata]. Cum autem in Ecclesiarum dedicationibus potissimum prospiceretur Sacris Reliquiis, quæ in ipsis recondebantur; ut aliis omissis, alibi à nobis memoratum, Gregorii exemplum ostendit, qui, ad dedicandam, nimirum, in honorem S. Severini Confessoris Romę Ecclesiam, ejusdem reliquias, Neapoli ad se mitti mandavit. Hinc intelligendum cognoscitur. Pantheon pręcipuè in honorem SS. Martyrum fuisse à Bonifacio dicatum, ob plurimas, nempè, quas diximus, eorumdem à se translatas, in eoque reconditas Sacras Reliquias. Si Reliquias ibi SS. Confessorum collocasset, Pantheon in eorum quoque honorem dicasset: transtulit, reposuitque in eo dumtaxat Martyrum, & ideò solis Martyribus dicavit; Ergo Ecclesiæ alię, vel ante ipsum, vel ipso vivente, Sanctis non Martyribus dicatę in Urbe non habebantur? Quis hoc asserere audebit?

Baron. in not. ad diem 13. Maii

Nec Bonifacio, igitur ea opinio inesse potuit, cum Pantheon dedicavit, ut, scilicet, solis Martyribus, se illud dicare posse censeret: Neque Innocentius, cum id de Bonifacio retulit, significare aliud voluit, nisi ipsum Pontificem, Majorum, in Pantheon dedicatione, sequutum fuisse exemplum. Cum autem ipsemet Innocentius, in hoc Bonifacii facto recensendo, Magnum Gregorium memoret; quis sapientissimum Pontificem, gestorum ipsius Gregorii adeò ignarum putabit, ut allato Bonifacii exemplo, adstruere voluerit, nisi post Bonifacii ejusdem tempora licuisse, quod diù antè illum, Gregorium Magnum sanctissimè peragisse compererat? Id certè, absque injuria disertissimi Pontificis cogitari non posse deprehenditur.

C A P. I V.

Belethi, de dedicatione Pantheon sententia refertur, ac ineptæ aliæ ejusdem excogitationes refelluntur.

ET quia de Pantheon dedicatione sermo recurrit; minimè pretereundum, quod antiquę Sanctorum Confessorum venerationis adversarii pariter testimonium objiciunt Belethi; qui, de

Beleth in Explic. Divin. Offi. c. 120. pag. 532. num. 2.

de eadem Pantheon, à Bonifacio celebrata dedicatione agens, palàm ipsorum excogitationibus favere depręhenditur.

Verùm, pręterquamquod Scriptor hic vix rem attigit, ubi rationem reddit, ob quam Bonifacius solis Martyribus Pantheon dedicavit: [nondum, (inquit) enim fiebant Festa Confessoribus]: hujusmodi extitisse, ex cęteris, quę addit Belethum depręhendimus, ut haud facilè ipsius sit authoritati acquiescendum. Duo siquidem scribit inepta prorsus. Primùm Gregorium Quartum idcircò à Mense Majo, ad Novembrem Solemnitatem dedicationis Pantheon transtulisse, quod ipso Majo Mense: [non
„ est, inquit, tanta copia victualium, ut in aliis: (solet enim
„ tunc Annona deficere), & Populus, qui confluebat ad illa
„ solemnia, propter inopiam ciborum, quandoque non poterat
„ celebrationi vacare.] At, undè, quęso Belethus præclaram hanc hausit eruditionem, ac tanta victualium inopia Urbem eo tempore quotannis laborasse accepit, ut propterea Populus, qui confluebat, ob ciborum deficientiam celebratę solemnitati vacare non posset, undè eam Gregorius, ad aliud tempus rejicere compulsus fuerit? Quis, inquam, Beletho revelavit, huic necessitati, in quam annis singulis impigebatur, & quidem illorum culpa, qui Annonę consulere debuissent, prævidereque erat, ne eo pręsertìm tempore, quo plures Romam ad solemnitatem accurrebant, deficeret alia via occurrere se non posse Gregorium existimasse, nisi eâ, ad alium Mensem, ac diem, solemnitate translata?

Aliud, quod Belethus subjungit, multò deterius est. Scribit enim, quod Gregorius celebritatem hanc extendit, in honorem; [Non solum, (ejusdem sunt verba) Apostolorum, &
„ Martyrum, *sed etiam Trinitatis*, omnium Angelorum, & Ar-
„ changelorum, Patriarcharum]. Prætereamus minùs exactè dictum agnosci, quod Gregorius Solemnitatem eam, in honorem Apostolorum, & Martyrum extendisse dicatur; non ex eo tantum, quod inter Martyres præcipui Apostoli recensentur; Sed multò magis, quod Pontifex ipse solemnitatem eam ad Martyres extendisse dicatur, quam in honorem Martyrum, à prædecessore Bonifacio potissimùm institutam, profectò ignorare non poterat. Sed quid, cum dicit, in honorem etiam Trinitatis extendisse? Numquid cum Bonifacius in Deiparæ, Sanctorumque MM. honorem Panthesu dedicavit, ac ejusdem Dedicationis solemnitatem instituit; Sanctissimam Trinitatem propulsam voluit, adeòut Gregorio, ut in ea comprehenderetur, signatè illam complecti, extendereque ad ipsam necesse fuerit? Quis Catholicorum ignorat, sacrificia, aras, Templa, ac hujus-

jusmodi, in Catholica Ecclesia, non nisi, Deo, videlicet Sanctissimæ Trinitati, quæ unus Deus est, dicari posse, ac in memoriam dumtaxat, vel Apostolorum, vel Martyrum, vel Confessorum, vel cujusvis demùm alterius generis Sanctorum nuncupari?

Mirum igitur videri non debet, inter tot, vel inepta, vel absurda, quæ Belethus inconsultè coacervavit, perperam etiam asseruisse Bonifacii tempore nondum SS. Confessorum festa celebrari cœpisse; cum præcipuum ad ignoraverit, ea in primis Deo dicata esse. Certè, cum de re alicujus momenti agitur, sententiæ, dictaque scriptorum hujusmodi, in medium minimè producenda essent, & produxisse, ad adstruendam contra SS. non Martyrum cultum falsam opinationem; illos qui produxerunt, probatorum scriptorum inopia laborasse, manifestè, demonstrat.

C A P. V.

Cardinalis Bellarmini sententia proponitur, & explicatur.

Cardinalis Bellarminus, his verbis suam sententiam prodit, dum de antiquitate Canonis Missæ agit: [Prima conje- *Bellarmin lib. 2. de Missa capit. 2. pag. 520.*
„ ctura est, quia in toto Canone nulla fit mentio Confessorum,
„ aut Virginum non Martyrum, sed Martyrum tantum, seu vi-
„ rorum, seu fœminarum: quod etiam notavit Augustinus lib.
„ de Sanct. Virginitate cap. 45. Hujus autem rei causa nulla est
„ alia, nisi quam reddit Innocentius III. lib. 3. cap. X. de My-
„ steriis Missæ; quia, videlicèt eo tempore Canon compositus
„ est, quo nondùm cœperant publicè coli in Ecclesia Sancti
„ Confessores. Siquidem certum est, Martyres cœpisse publicè
„ invocari, & eorum nominibus dies festos coli, & Basilicas
„ erigi, ab initio planè Ecclesiæ. Confessores autem multò se-
„ riùs hunc honorem in Ecclesia meruisse:] Sic Bellarminus.

Quid sentiendum de auctoritate, quam affert, Augustini, mox dicetur. Verùm, cum Bellarminus idem, Innocentii III. testimonio præcipuè innitatur, nulla profectò alia ratione, quam ea, qua Innocentii ejusdem verba accipienda esse diximus, intelligenda quoque illa Bellarmini noscuntur. Cum enim ad antiquitatem Canonis comprobandam, in quo nisi Martyres adnotantur, scribit SS. Confessores publicos Ecclesiæ honores serius meruisse; cui in mentem venire poterit, seriùs eo tempore, quod Innocentius presignaverat asserere voluisse, eorumdem Confessorum cœpisse cultum, cum præsertim post allata

verba ſtatim ſubjungat: [Conſtat autem, ex Concilio Moguntino, ſub Carolo Magno celebrato. Canon. 36. Feſta Confeſſorum jam in uſu fuiſſe Ann. DCCC. Siquidem in Cathalogo Feſtorum dierum, ponuntur dies feſti S.Martini, & S.Remigii; igitur ante Ann. Domini DCCC. Canonem compoſitum fuiſſe neceſſe eſt] ? Quibus ſanè verbis, licet id unum adſtruere connixus ſit, quod, nempè, Canon ante octavum Sæculum compoſitus fuerit; tamen, cum dicit ante ſæculum ipſum SS. Confeſſorum feſta celebrata fuiſſe, profectò oſtendit, ſuum, quod dixerat, multò ſerius, non ita accipiendum, ut putaretur SS. eorumdem cultum, ad longè poſteriora ſæcula, ut contenditur, pertinere, ſed potius ad tempora poſt Sylveſtrum, juxta Innocentii, quam commendaverat ſententiam, pertinuiſſe.

C A P. V I.

S. Auguſtini ſententia perperàm uſurpata, deteriuſque explicata, exponitur; ejuſque geminus ſenſus exhibetur.

EX his, quæ Auguſtinus ſcribit, ut ſuperiori capite vidimus, in lib. de S. Virginitate, elici poſſe in Miſſæ Canone non niſi recenſitos SS. Martyres, Bellarminus arbitratur. Alii verò ulterius progreſſi, ejuſdem Auguſtini ævo, (quod pluribus in locis ab eo travitum jactant), Eccleſiam, nedum SS. Confeſſorum, Sanctarumque Mulierum non Martyrum Natalitia non celebraſſe contendunt; Verùm etiam in Miſſa, pro iis, uti pro cœteris Fidelibus piè defunctis, orare conſueviſſe volunt. Cum autem ea tanta loca non ſignent, in quibus Auguſtinus idem id adſtruat, ac ea divinare fas non ſit; præcipuum idcircò unum illud explorare ſat erit, cui Bellarmini præfati innititur conjectura; quàm illis, quos innui, extendere, dilatareque, intemperantiſſimè placuit.

Sciendum igitur, in primis, quod Auguſtinus, totus, ut ita dicamus, eſt in eo de Sancta Virginitate Libro, ut inſinuet, doceatque Virgines animi dimiſſionem, humilitatemque; ne, videlicet, ob præclarum, quo decoratæ erant, Virginitatis donum, cœteris, qui eo caruiſſent, ſe præferre auderent; illudque unum, ad æternam conſequendam ſalutem ſufficere arbitrarentur: huic proſpicit ſcopui Auguſtini ſermo, ut manifeſtè ipſiuſmet ſequentia verba declarant.

[Ut enim cœtera taceam, undè ſcit Virgo, quamvis ſollicita,

cita, quæ sunt Domini, quomodò placeat Domino, ne fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondùm sit matura martyrio; illa verò Mulier, cui se præferre gestiebat, jàm possit bibere calicem Dominicæ humilitatis, quem prius bibendum Discipulis amatoribus sublimitatis, opposuit? Undè, inquàm, scit, ne fortè ipsa nondum sit Thecla, jàm sit illa Crispina?] *August. de Virg. cap. 44.*

Augustini verba, diligenter sunt expendenda. Virginem etsi sollicitam in iis, quę Domini sunt, curantemque placere Deo; Nihilominus scire non posse dicit, an propter sibi incognitam mentis infirmitatem, nondum sit apta, maturaque, ad illud maximum, præcipuumque charitatis actum subeundum, ut animam suam, per Martyrium, pro Deo ponat. E contrà verò Mulier altera, licet non Virgo, (cuique ipsa Virgo, ob Virginitatis donum se prætulit), apta erit Martyrio, libenterque, & ultrò passionis, calicem bibet. Calicem, inquam, illum Dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis Christus opposuit, cum, videlicet, ut narrat Matthæus: [Accessit ad eum Mater filiorum Zebedęi cum filiis suis, ado- *Matt. 20. v. 20.*
„ rans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illa:
„ Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, &
„ unus ad sinistram in Regno tuo. Respondens autem Jesus; Di-
„ xit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego
„ bibiturus sum &c.] Appetebant illi duo Discipuli primas in Christi Regno sedes; eorum postulationi, passionis calicem Dominus opposuit; ut nonnisi per passionis humilitatem, ac experimentum, ad sublimes Cœlestium Sedes, pervenire eos posse monstraret. Undè scit igitur, pergit Augustinus, Virgo illa, quę de Virginitatis dumtaxat dono gloriatur, aut scire potest, se jam esse, ut Theclam Virginem, eum fortè Martyrio apta non sit? Ubi è contrà, jam idonea palmæ, prę ipsa Virgine, forsan erit Mulier illa, quæ, uti Crispina, Virgo non est, cuique, ob Virginitatem, se pręferre contendit? Crispina siquidem Virgo non fuit, sed Martyr tantùm pręclarissima in Africa, de qua in Romano Martyrologio ista habentur. [Thebeste in Africa,
„ S.Crispinæ Nobilissimæ fœminę, quę temporibus Diocletiani, *Sub die V. Dec.*
„ & Maximiani, cum sacrificare nollet, jussu Anolini Procon-
„ sulis decollata est: quam Sanctus Augustiuus sępè laudibus
„ celebrat.]

Statim autem post pręcitata verba, quibus quid significare voluerit, jam neminem latere posse arbitramur, capite eodem ista subjungit Augustinus; [Certè, nisi adsit tentatio, nulla do- *Ibidem ut supr.*
„ ni hujus sit demonstratio. Hoc autem tam magnum est, ut

 eum

„ eum fructum centenum quidam intelligant. *Perbibet enim*
„ *prȩclarissimum testimonium Ecclesiastica authoritas, in qua Fideli-*
„ *bus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctȩ Sanctimoniales,*
„ *ad Altaris Sacramenta recitentur*. Sed quidquid &c.]

Adeò hæbes nemo est, ut non intelligat hic Augustinum, de Virginibus disserere, quarum incomperta virtus erat; ne, videlicèt, ut dicebamus, de Virginitatis dono se inanitèr extollentes, cœteris, qui eo carerent, se prȩferre auderent; cum accidere posset, Virginem, propter incognitam sibi mentis infirmitatem, non dùm esse Theclam, idoneam palmȩ, & Mulierem nuptam, uti Crispinam, jam maturam esse victoriȩ: additque, nisi per tentationem rei hujus demonstrationem fieri posse per tentationem, in quam, Martyrii, per quam absolutissima est demonstratio, & finalis perseverantiȩ, & adeptȩ æternæ gloriȩ: quam quidem nullatenus prȩbere unam Virginitatem, vel ex eo apertè cognoscitur, quod stultæ Virgines fuerint, à Cœlesti Sponso, è nuptiis repulsæ. Undè in Inferno plures Virgines detrusȩ sunt, nullus verò verus Martyr, à Beata Patria rejectus reperiatur. Ad id verò adstruendum, prȩclarissimum Ecclesiasticȩ auctoritatis testimonium in medium profert Augustinus, in quo fidelibus notum esse dicit, quo loco Martyres, quove defunctæ Sanctimoniales, ad Altaris Sacramenta recitentur.

Sit igitur, quod in Canone Missæ, (uti etiam nunc), soli Martyres recitarentur, (ad quod comprobandum, textum hunc Augustini Cardinalem Bellarminum maximè in medium protulisse censeri potest.); Quid tamen id cum ea, de qua agimus quæstione, si Augustinus idem, de Virginibus, quarum incomperta erat virtus. De Virginibus, quarum per nullam tentationem doni Cœlestis facta fuerat demonstratio. De Sanctimonialibus, inquam, quæ licet virginitatem professæ fuissent, tamen, propter aliquam mentis infirmitatem sibi incognitam, multò nuptis Mulieribus deteriores essent; & licet, ut Thecla virginitatem custodissent, tamen non modò, ut Thecla Virgo, sed neque, ut Mulier Crispina, charitate, cœterisque virtutibus præfulsissent? Hujusmodi verò, ad Altaris Sacramenta, diverso ab eo Martyrum loco, qui dicitur: (Memento pro Defunctis); non modo Augustini, sed semper, & nostro hoc quoque tempore recitare consuevit Ecclesia. Verùm, quid id cum eo, quod illi, quos memoravi, adstruere conantur, vel commune habet, vel habere potest? quod, scilicet Augustini ævo, nedum SS. Confessorum, ac SS. Mulierum non Martyrum Natalitia non celebrarentur; verùm etiam in Missa, sicut pro cæteris quibuslibet piè defunctis oraretur: Si illæ, pro quibus, diverso ab eo Martyrum

rum loco, Sanctimoniales Ecclesia orabat, non modo, uti Theclam, sed neque uti Crispinam esse, manifestum non erat? Si incompertum omninò erat, an odio, vel amore dignæ, ex hac vita decessissent; vel, an adhùc maculis, ex humana fragilitate contractis expiatæ, lucis æternæ beatitudine perfruerentur? Pro iis certè diverso, ab eo Martyrum loco, orabat Ecclesia, quarum merita, virtutemque inexploratam habebat, uti, & modò etiam orat, & pro Sanctimonialibus, & pro cœteris pie Defunctis. At secundùm Augustinum, vel perperàm absque dubio, ex allatis Augustini verbis elicitur, orasse pro Sanctis Virginibus, & Confessoribus post agnitam, approbatamque à se illorum virtutem, & merita; ac eodem loco, ac cœteros defunctos, eos habuisse. Hoc Augustinus nunquam dixit, nec unquam, nisi per summam injuriam, æquè Augustini, Ecclesiæ, ac Sanctarum Virginum, & Confessorum, dici potuit.

Dicent fortè; quid igitur? Si SS. Virgines, & Confessores, nec inter, vel cum Martyribus recensebantur, nec cum cœteris Fidelibus defunctis eorum memoria agebatur? Quibus nos breviter respondemus, Festis, natalitiis, celebratis Deo, in ipsorum honorem Divinis Mysteriis, uti modo, Ecclesiam ipsos veneratos esse; uti nunc, inquam, cum videlicet in ipso Canone Missæ, & inter Martyres, & inter Defunctos, eos præterit; in reliquis verò venerandam illorum memoriam agit.

Cur verò soli Martyres semper ab Ecclesia universali in Missæ Canone recensiti fuerint: probabilius ex his, quæ Durandus scribit, intelligi posse videtur. [Potest dici (inquit) quod „ ideò in Canone solum fit mentio de Martyribus: quia cum „ hoc Sacramentum sit Sacramentum amoris, in ipsius Sacra„ menti ministerio debet solum memoria fieri de illis, in quibus „ specialius apparuit signum veri amoris. In Apostolis appa„ ruit per temporalium abjectionem: in Martyribus per corpo„ rum tormentis expositionem. De primo Matth. 19. Ecce nos „ relinquimus omnia &c. De secundo Sapient. 3. Et si coràm „ hominibus tormenta passi sunt &c. Rursus ideò non fit mentio „ de Confessoribus: quia illi non sunt passi sicut CHRISTUS: „ cujus Passionis est memoriale hoc Sacramentum.] Sic Durandus.

CAP.

C A P. V I I.

De Mozarabo ritu, ejusque institutione, quorundam sententia expenditur.

DEnique addunt, quod donec viguit Mozarabum ritus in Gallia, scilicet usque ad Sæculum VIII., & in Hispania, usque, nempè ad Sæculum XI.; in his Regionibus oratum fuit pro Sanctissimis Confessoribus, qui quartum, quintum, sextum, & septimum Sæculum illustrarunt; idque constare asserunt ex ipsamet juxtà Ritum Mozarabum. Missa, in qua inter alia Defunctorum, pro quibus orabatur, nomina etiam eorum fuere recensita (ajunt) quos Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus infallibili magisterio edocta, cum Beatis æternæ Patriæ Civibus veneratur.

Ut Nodum autem hunc solvant, dicunt: quod licet nobis ignotum sit tempus illud, quo Sancti Hispaniarum Episcopi, Ritum hunc instituerunt: nihilominùs existimandum esse, eo fuisse compositum tempore: quo solis Martyribus, publicus, & solemnis cultus concedi solebat: reliqui autem, præsertim Episcopi, qui in pace Ecclesiæ, etiam cùm opinione Sanctitatis decedebant, sacris Defunctorum tabulis, inscribi, eorumque nomina promiscuè legi consueverant: itaùt nullum discrimen esset, inter illos, qui posteà Sancti nuncupati sunt, quales fuerunt Hilarius, Athanasius, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Leander, Isidorus, & cœteros, quibus hic titulus nunquam tributus fuit. Cum igitur eo tempore, utrorumque par causa esset, nec ulla Ecclesiæ declaratione constaret quemquam ex illis Dei visione perfrui, & consequentèr viventium non indigere suffragiis, pro omnibus indiscriminatim, preces, & Sacrificia offerebantur. Hæc illi.

At quàm falsò hæc supponant, post innumera propè ea, quæ suprà in medium protulimus, tùm à Græca, tùm à Latina Ecclesia mutuata exempla; Superfluum est ostendere, cum à primævo Christianæ Religionis exordio, evidentissimè constet, non indiscriminatim, ut ipsi excogitarunt, sed signantissimè veneratione, ac cultu, Sanctos non Martyres, à cœteris Fidelibus Defunctis fuisse discretos. Pugnant deindè, quæ hic dicuntur, de ignoto videlicèt tempore, quo ritus hic institutus fuit, cum iis, quæ alibi, ut videbimus, contra Cardinalem Baronium asseruntur;

runtur; cum, nempè, longè ante ſeptimum Sæculum, Sæculo nimirùm quinto, ritum ipſum adinventum comprobant, ac propemodum digito oſtendunt.

Verùm, præ aliis ſententiam hanc, (qua putarunt ritum hunc inſtitutum fuiſse tempore, quo ſolis Martyribus, publicus, & ſolemnis cultus concedi ſolebat), ea ipſa, quæ afferunt mirè dejiciunt. Contendunt ipſi, inquam, tunc fuiſse inſtitutum, cum ſoli Martyres venerabantur: igitur certè, (ut ex ſupra allatis, ex Innocentio, & Bellarmino patet), ante quartum, quintum, ſextum, ac ſeptimum Sæculum. Sit verò, quod Sęculo tantum quinto, ut ipſi volunt, fuerit inſtitutus: qua, quæſo tamen ratione, cum inſtitutus fuit, promiſcuè, inter Defunctorum cæterorum adnotari potuerunt etiam Confeſsorum Sanctorum nomina, quę recenſent; ſi ipſorum plures, non niſi poſterioribus Sęculis floruerunt?

Aliud quippe fuit, & eſt, ſcribere cum Innocentio Tertio, nonniſi SS. Martyrum in noſtro Canone nomina haberi, quod tunc compoſitus fuerit, cum Sanctos Confeſsores, pari Martyribus cultu, Eccleſia minimè veneraretur; aliud, quod Leander, Fulgentius, Iſidorus, & aliique longè poſt quintum Sęculum floruerunt, & in Canone præfato Mozarabo recitantur, indiſtinctè, ex primæva inſtitutione inter defunctos alios recenſerentur. Hoc ſiquidem, neque primæ ipſi inſtitutioni, neque ęvo illi, quo ſoli Martyres colebantur congruere, ſed tantum ad additionem deinde factam ſpectare poteſt; nam, ut innuimus, nomina hæc, nonniſi poſt mortem Confeſsorum eorumdem, quarto, quinto, ſeptimo Sęculo, in eo Canone conſcribi potuerunt. Ubi è contrà, quod de Martyribus Innocentius ſcribit; & Canonis inſtitutio, in quo ipſi dumtaxt Martyres habentur, ad prima Eccleſiæ Sęcula pertinere, probabiliter putari poſſe, Pontifex idem dicit.

C A P. V I I I.

De ipſius Mozarabi ritus inſtitutione diſſertatio ulterior. Juxta ipſum orari pro ſanctis Confeſſoribus non potuit.

AT dicent, Mozarabum ritum non tempore, quo Canon Miſſæ, ſed longè poſt inſtitutum; & quia longè poſt inſtitutum, quarto, videlicet, vel quinto ſæculo; idcircò, ex ipſomet probari, iiſdem ſæculis, nondum cultum SS. Confeſſores obtinuiſſe,

quod

quod in eo indiſtinctè cum aliis defunctis eorum nomina recitarentur.

Verùm, quacumque via, qui hæc effutire audent, incedant, ſemper offenditur ſcopulus. Vel enim Mozarabus ritus tribus primis Eccleſiæ ſæculis inſtitutus eſt; & fateri neceſſè erit in eo additamentum, quidquid de SS. Confeſſoribus in ipſis commemoratis habetur: quia Confeſſores iidem in ipſo ſcripti, Hilarius, Athanaſius &c. eo tempore, nedum mortui, ſed nec quidem nati erant. Si verò poſterioribus ſæculis inſtitutus dicatur, nempè quarto, quinto, vel ſequentibus; cum eo tempore, abſque dubio, ubique Terrarum Sanctorum Confeſſorum cultus receptiſſimus eſſet; meritò idcircò ambigi nequit, officia, Miſſasque eorumdem Sanctorum, quæ in ipſa Mozaraba Liturgia paſſim offenduntur; ad ipſum quoque tempus, quo Liturgia eadem inſtituta fuit pertinere: tùm quia ratio excogitari non valet, ob quam putandum ſit, unum eum Mozarabum ritum, Confeſſorum rejeciſſe cultum, quem, ut diximus, toto Orbe diffuſa Eccleſia eo tempore abſolutiſſimè recipiebat: tùm etiam quod, ex præfatis officiis, ut dicetur, eo tempore ipſa fuiſſe compoſita, apertiſſimè intelligatur. Si igitur ita accipienda eſt SS. Confeſſorum, in Mozarabo Canone, commemoratio, ut, ſicut pro Defunctis cœteris, oratio facta putetur: juxta ritum eumdem fateri neceſſè erit, incertos ſimul, & certos eorumdem gloriæ fideles tunc extitiſſe. Incerti, cum pro illis orabant, ut ad Beatitudinem pervenirent: certi verò, cum eorum officia, & ſolemnitates, (quæ illis tantum congruunt, qui jam Paradiſi gaudia ſunt adepti), celebrarent. Nam ſi incerti erant, inquam, de illorum beatitudine; qua ratione eorumdem officia, ac Natalitia colebant? Si certi, cur pro illis, uti pro cœteris defunctis, quorum æterna felicitas inexplorata erat, preces fundebant? Duo hæc, ut omnibus patet, ſimul eſſe nequiverunt, cum una alterum neceſſariò explodat, excludatque; atque Catholicæ Eccleſiæ regulis minimè congruere poſſunt; quæ pro illis dumtaxàt orat, quos neſcit, an jam Cœleſte Regnum ſint aſſecuti, ut aſſequantur; eorum verò Orationibus ſe commendat, quos jam credit Deo perfrui, & ſuffragiis ſuis non amplius egentes, intraſſe in gaudium Domini ſui.

CAP.

C A P. I X.

Alia, de ipso Mozarabo Ritu, & rejiciuntur.

AD hæc fortè dicent, quod licet quarto, vel quinto Sæculo Ritus Mozarabus institutus dicatur, quo tempore, ut ostendimus, absolutissimum cultum in Ecclesia Sanctos non Martyres obtinuisse, nemo tàm impudens est, ut negare valeat; tamen prioritatem aliquam temporis forte esse excogitandam, in qua primò statutum credatur, ut pro Confessionibus ipsis oraretur, ac deindè, ut ipsorum officia, Natalitiaque celebrarentur; ita tamen, ut hæc superaddita, nihil eorum, quæ anteà statuta fuerant, immutarent.

Verùm, (præterquamquod, qui ista effutire auderet, erroris maculam probatissimæ Hispaniarum Ecclesiæ gratis impingeret, cum, ut mox diximus, simul esse nequierit, ut uno, eodemque tempore, & pro Sanctis oraretur; & deprecarentur Sancti, ut suis nos orationibus adjuvarent): objectionem hanc funditùs ea evertunt, quæ in medium illi proferunt, qui à Cardinalis Baronii (existimantis Ritus Mozarabi primum Auctorem fuisse Isidorum Hizpalensem, anno 533.) sententia revidunt, cui ne statìm adhæreant, quædam esse, dicunt, quæ gravem ingerunt difficultatem, Nam primò in Missa S. Martini, in Oratione post nomina, ista leguntur. (*Hunc Virum, quem ætatis nostræ tempora prætulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus.*) Martinus autem obiit Anno Domini 402., & primus, ex Confessoribus *paulò post obitum*, publico cultu cœpit honorari; ergò (inquiunt) multò ante Isidorum, hæc Missa scripta fuit. Verùm si id, ob quod se præcipuè motos dicunt, ut Ritum Mozarabum multò Sæculo septimo, (quo compositum fuisse Cardinalis Baronius putavit), anteriorem arbitrentur, Missa existit, quæ in ea Liturgia habetur S. Martini, sub Sæculi quinti initium vita functi: eo quod in illa expressè tempus idem declaretur, ac præsens dicatur: undè inferre opporteat, quinto eodem Sæculo, Missam eamdem compositam fuisse: Missam, inquam, in qua, per Sancti Martini intercessionem, Divinum imploratur auxilium. In hac, quàm ipsimet statuunt hypotesi, dicant quæso ipsi, quonam alio præcedenti Sæculo, pro eo quod ad ejus intercessionem apud Deum confugerint, Fideles pro eo potius, uti pro defunctis cœteris, orandum Deum existimare potuerunt?

In Missa eâdem, cultum, & quidem publicum S. Martino asserunt, & dicunt (perperàm licet, ut integrum, totumque id opus manifestissimè ostendit): Fuisse primum, ex Confessoribus, *paulò post obitum*, qui publico cultu cœpit honorari: Moxque addunt: Ergo multò ante Isidorum, hæc Missa scripta fuit: Si igitur paulò post obitum publico cultu S. Martinus honorari cœpit; quo pacto deinde supponunt, tamdiù post, indiscriminatim pro eo oratum fuisse, non modo, uti pro SS. Confessoribus aliis, quorum nomina recensent, sed etiam pro cæteris defunctis? Qua, inquam, ratione coherere possunt, & quinto Sæculo compositus Mozarabus Ritus, & quinti Sæculi initium, quo cultus publicus paulò post obitum S. Martino decretus fuit; cum posterioribus Sæculis, (ut alia omittamus) S. Leandri, S. Isidori, cum quorum nominibus, in præfato Canone æquè illud etiam S. Martini offenditur?

Respondebunt fortassè, postremis his Sæculis, nulla Ecclesiæ auctoritate constasse S. Martyrum Dei visione perfrui, & consequenter viventium non indigere suffragio? Verum, qua quæso ratione id, si Ecclesia ipsa, & juxtà ipsum Ritum Mozarabum, anteà ei cultum publicum asseruerat, & quin eum suffragiis juvaret, suffragia potius illius apud Deum imploraverat? Denique quocumque nos vertamus, ratio excogitari non valet, per quam à contradictione, & falsitate sententias hujusmodi vindicare possimus.

C A P. X.

Ritus Mozarabi verior interpretatio, à Cardinali Bona in medium producta.

VErior igitur sententia ea habenda est, quàm Cardinalis Bona, in medium profert, his verbis.

[Illud insupèr advertendum, quod veteris Ecclesiæ phrasi, etiam pro Justis, & Sanctis, atque adeò pro ipsis Martyribus, Sacrificium offerri dicebatur; non quidem pro eis orando, non enim ignorabant antiqui Patres, superfluum id fore, cum persuasissimum omnibus esset, Martyres Christi, statim post obitum, supernæ Patriæ felicitate perfrui, sed pro illorum honore, & commemoratione. Testatur hoc Cyprianus Epistol. 34. in qua differens de Martyribus: [qui palmas à Domino, & coronas, illustri passione meruerunt.] ait: [Sacrificia pro eis semper, ut meministis offerimus.] quod, pro illorum commemoratione intel-

intelligendum esse, idemmet clariùs edisserit. Epist.37. dicens: [Dies eorum, (qui scilicet in carcere, & vinculis propter Christum detenti decesserant) quibus excedunt annotatæ, ut commemorationes eorum, inter memorias Martyrum celebrare possimus.] Et inferiùs: [Celebrantur hìc à nobis oblationes, & Sacrificia, ob commemorationes eorum.] Aliter explicat hanc phrasim, qua etiam in Liturgia utuntur Græci, Nicolaus Cabasilla, in ejusdem Liturgiæ explicatione Cap. 33., ut offerri dicatur Sacrificium pro Sanctis, in gratiarum actionem Deo, pro donis, ab eo eisdem collatis. [Hi enim, (ait), idest Sancti sunt Ecclesiæ, agendarum Deo gratiarum causa. Pro iis offert rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarnm actionem, & pro cœteris omnibus, pro B. Dei Matre, ut quæ omnem Sanctitatem excellat. Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, sed potius eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem.] Sic Cajus Papa, ut refert Baronius, anno 295. n.9. à die, quo Susanna Virgo Neptis ejus, martyrio coronata fuit, in loco ubi percussa est, jugiter obtulit Sacrificium, pro ejus commemoratione. Innocentius III. Cap. Cum Marthæ, de celebratione Missarum, secretam orationem S.Leonis, proùt legitur in antiquis Codicibus, videlicet: [Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis, hæc prosit oblatio.] ita explicat, ut prosit illi ad honorem, adeòut magis à Fidelibus glorificetur, quod fit ejusdem annua commemoratione. Sive igitur, in commemorationem, sive in gratiarum actionem, sive in honorem, modo explicato, Sacrificium pro Sanctis offerri dicatur; nihil in hoc, vel Fidei Catholicæ, vel Ecclesiasticis Ritibus dissonum est.] Hæc ille.

C A P. X I.

Vocabula quædam, ac phrases indistinctè aliquando, pro Sanctis, & non Sanctis, ab Ecclesia usurpatæ. Quare ratione in commemoratione Mortuorum in Missa, Sancti quoque recensiti fuerint.

QUid plura? Si sicut antiquitùs, sic & modo, vocabula quædam, promiscue, ut ità dicamus; Sancta in hujusmodi usurpat Ecclesia? Exemplo illud, inter alia, sit *Commemoratio-*

 nis,

nis, quod mòx vidimus, cum de SS. Martyribus ageret, non semel à S Episcopo, & Martyre Cypriano usurpatum. In Missali siquidem, & Breviario Romano, indistinctè, tàm pro Sanctis, quàm pro Fidelibus cæteris defunctis accipitur: Legiturque in eis, & insuper in Romano Martyrologio adnotatum, sub die 2. Novembris. *Commemoratio omnium Defunctorum*]: Legiturque pariter, ubi de Sanctis, qui sub ritu simplici coluntur, ubi eorum Festum incidat, vel in Dominica, vel ea ipsa die celebretur, quo aliud, vel duplex, vel semiduplex, vel duplex primæ classis; vel in Feriis Adventus, ac Quadragesimæ, vel in illis Quatuor Temporum, vel demùm in Vigiliis toto anni tempore occurrentibus; sive, exempli gratia: [*Commemoratio* S.Saturnini. S. Urbani]; Sive. [Pro *commemoratione* S. Eleutherii]; Sivè: Non fit *commemoratio* S.Adriani, nisi in laudibus]. Sive: [Et non fit *commemoratio* S. Blasii,] sive demùm, [absque ulla *commemoratione*]; Sanctorum, videlicet simplicium ea die occurrentium. Quis autem legens putet idem omninò sibi velle vocabulum hoc commemorationis, cum illud æquè pro Sanctis, ac Fidelibus cœteris piè defunctis usurpatum offendit?

Idem dicas, necesse est, de phrasibus, quibus aliquando Ecclesia utitur. En quomodo dicit in Secreta Missæ, quam in die obitus alicujus fidelis recitandam decernit: [*Ut per hæc piæ* „ *placationis officia pervenire mereamur ad requiem sempiternam.*] Et tamen deprecantis una, ac optantis videtur etiam secreta alia, quam in communi Confessorum Pontificum recitat, estque iisdem ferè verbis concepta, nam dicit: [Ut *per hæc placationis officia*, & *illum beata retributio comitetur*]. Et tamen, quis unquam prioris secretæ, aliter accipienda verba putavit, nisi ut credat Ecclesiam illud tantum optare, deprecarique recens Defuncto illi, ut per ea, nimirùm, Sacrosancta Missæ Mysteria, culpis expiato, concedatur, ut quamprimùm in Cœlestem Patriam ingressus pateat? E contrà verò, quis secretæ alterius verba sic accipienda censuit, ut per exhibita ea placationis officia, sanctum illum Pontificem, in cujus honorem ipsa Deò offeruntur, (& offeruntur, non nisi quia in Cœlesti Patria constitutus idem firmissimè creditur), quam nondum obtinuerit, beata tandem retributio comitetur?

Addam demùm quod Marcellus de Cavaleriis Ordinis Prędicatorum in sua Statera Sacra Tit.XXIV. de Canon. post consecrationem, ubi de Commemoratione mortuorum agit, his verbis scribit: [Etiam hoc loco, ex diptycis, de quibus Tit.19. „ ex Apostolica traditione, seu institutione, ex ambone, vel „ ad tempus, vel etiam perpetuò nominabantur, qui aliqua spe-

Marcell. de Caval. Stater. Sac. Titul.24.pag.386. num. 194.

„ ciali

„ ciali nota digni, è vivis excesserant]. Et nonnullis interjectis: [Hujus autem commemorationis, non semper scopus erat,
„ ut peteretur hujus sacrificii effectus; nam aliquando nomina-
„ bantur Sancti, etiam Martyres, de quorum æternæ felicitatis
„ possessione, statim post obitum, nullo unquam tempore su-
„ perstitit dubitatio; imò, ex Dionysio cap.3. de Eccles. Hierar.
„ habetur, hanc fuisse pro Episcopis speciem quandam Canoni-
„ zationis. Sæpe ergo nominabantur, ob gratias Deo redden-
„ das, pro donis, ab ipso iisdem collatis, seu ut illis gloria hinc
„ accidentalis eveniret; quo sensu, & nunc dicimus pro san-
„ ctis Sacrificium offerre, ut alibi dictum est:] Sic ille.

C A P. X I I.

Cultui SS. non Martyrum nihil officere ostenditur Confessoris Vocabulum, SS. Martyribus tantùm olim tributum.

AD hæc, qui Sanctorum non Martyrum prisco cultui detractum volunt, aliud addunt, quod magis ad dilatandas (alias cuique etiam rudi, & imperito obviæ) eruditionis philacterias, quam ad rem, de qua disseritur, esse noscitur. Deceptum siquidem absque ulla hæsitatione cum pronunciant, qui SS. non Martyribus antiquam venerationem, cultumque asseruit; quod ideò id eis tributum existimasse putant, quod sub Confessoris vocabulo, plures in Ecclesiasticis tabulis sanctorum albo descriptos, offendit. Qui enim (inquiunt) hujusmodi titulo prænotabantur, quin eo sensu nuncuparentur, quo modo Sancti, qui Martyres non sunt nuncupantur; è contra potius eo nomine exornati fuere, quod revera Martyres extitissent; unde Confessores ex ea potissimùm causa dicebantur, quod ante Reges, ac Idololatras Judices pertracti, publicè Christum confessi essent. Quotiescumque igitur in veteribus Ecclesiasticis monumentis, (dicunt), vel cultum, vel aliud venerationis genus SS. Confessoribus tributum legitur; adeò Confessoribus, eo sensu, quo nunc, concessum fuisse putandum non est; quod, è contra solis SS. Martyribus elargitum probè intelligi debet. Et ut omnigena eruditione se exornatos ostendant, plura (quæ fortè nunquam viderunt, neque à longè salutarunt), SS. Patrum testimonia coacervant, quæ simul tamen congesta, apud unum Baronium, ad manus quisque habet, *Baron. in Not. ad diem 2. Ian.*

Ve-

Verùm qui iſta in medium produxere, in hoc maximè teterrimam allucinationem ſunt paſſi, ut inſtitutam à nobis diſputationem, non quidem de re, ſed de nomine arbitrati ſint. Sit enim, quod priſcis Eccleſiæ Sæculis, Confeſſorum vocabulo, nonniſi Martyres cenſerentur: Id quid ad nos? Ubi nam probare contendimus eos, qui tunc Confeſsores dicebantur, Martyres non fuiſſe? Quin id diffiteamur, ultrò fatebimur haud rarò in Eccleſiaſticis Hiſtoriis, præclariſſimos Martyres, Confeſſorum vocabulo decoratos. At, quid inde? Quia igitur iis Martyribus, qui Confeſsores dicebantur, decreta Natalitia, cultus, & veneratio legitur; ideò honores hujuſmodi, vel SS. Martyribus tantùm, vel SS. Confeſsoribus dumtaxat, qui Martyres extitiſsent ab Eccleſia ſtatuti fuerunt? Ideò, qui neque Martyres, neque Confeſsores, eo ſenſu erant, quo Martyres recenſebantur, honores ipſos minimè obtinuerunt? Sit, quod illi, qui Sanctorum Confeſsorum nomine hodiè vocantur, hoc Confeſſorum vocabulo exornati non fuerint; Ergo, ex his elicitur Sanctos, quos Confeſsores modo tantùm nuncupamus, quorumve ingens numerus egregiis facinoribus univerſam Eccleſiam, ab initio illuſtravit, neque cultum, neque venerationem apud Fideles adeptos eſse? Id diſputationis caput, cum quo nil commune, vel habet, vel habere poteſt quæſtio à ſolo nomine mutuata.

C A P. XIII.

Natalitia in die aſſumptionis Epiſcoporum antiquitùs peracta, alia fuiſſe à Natalitiis, in SS. Epiſcoporum obitu celebratis oſtenditur.

HUic non abſimile eſt aliud, quod contra SS. Confeſsores Pontifices proferunt. Quod enim, (inquiunt) eorum Natalitia in Eccleſiaſticis tabulis, Sanctorumque veterum Patrum ſcriptis, ſæpè prænotata inveniantur; mirum certè videri non debet; nam, ut Cardinalis Baronius ſcribit: [Laudabilis „ in Eccleſia viguit antiquus uſus, ut dies anniverſaria agere- „ tur, qua quis alicui Sedi præfectus eſset Epiſcopus. Id ete- „ nim, tàm in Occidentali Eccleſia, quàm in Orientali etiam „ obſervatum, innumera ferè docent exempla:] Quod reperiantur, igitur Epiſcoporum in Eccleſiaſticis tabulis adnotata

In Not. ad Martyrol. ſub die 18. Ianuarii.

Na-

Natalitia; id non ad Natalitia ea, quæ in Sanctorum Solemnitatibus agi consueverunt, sed ad illa potius, quæ in anniversaria ipsorum ad Episcopatum assumptione celebrabantur, esse referenda, perspicuè intelligitur. Hæc illi:

Et hìc quoque, ultrò fatemur, assumptionis Episcoporum Natalem diem celebrari consuevisse; at non ex hoc sequitur Sanctorum Episcoporum Natalitium alterum, feliciorem que obitus illorum, celebratum etiam non fuisse. [De consuetudi- *Ibidem ut supr.*
„ ne (solemniter, videlicet celebrandi diem assumptionis Epi-
„ scoporum) Orientalis Ecclesiæ satis monent, (inquit Baro-
„ nius) Græcorum Menologia, in quibus S. Basilii, Joannis Chry-
„ sostomi, & aliorum agitur Sedis illorum Natalis dies:] An verò propterea, quod SS. Basilii, ac Joannis Chrysostomi hæc Solemnitas agebatur, Græcorum eadem Menologia celebriorem alteram ipsorum ad Cœlum transitus, vel prætermittebant, vel non celebratam edicebant? En quæ idem Baronius scribit, dùm de die depositionis S. Basilii agit: [Non solùm Latina omnia *Idem sub die 1. Ianuar.*
„ Martyrologia, sed & Græci de eodem hac die agunt, ut con-
„ stat, ex eorum Menologiis]. Et de die obitus S. Joannis Chrysostomi disserens: [Eâdem hac die Græci in Menologio, qua ex humanis esse sublatum, qui ejus Acta scripserunt, testantur *Idem sub die 14. Septembris.* Pallad. Leo August. Metaphrast. Gregor. Alexand. Cassiodor. tripart. lib. 10. cap. 18. Nicephor. lib. 13. cap. 17. & alii.] Additque: [Penès Socratem lib. 6. cap. 19. textus depravatus reperitur, & loco XVIII. Kal. Octobr., legitur XVIII. Kal. Decembris; cujus erroris ea videtur esse occasio, quod ob solemnitatem S. Crucis, Græci transferunt hanc Solemnitatem in eam diem, vel, (ut alia habent Menologia), ad Idus Novembris, ut ponitur etiam in dicto eorum Menologio.] Et quidem, juxtà hæc, uti cœterorum Episcoporum, solemnitatem etiam assumptionis SS. Meletii, & Philogonii, ad Episcopalem Cathedram celebratam fuisse, ritè in dubium vocari non potest; & tamen, quis inficiari poterit, ipso S. Joanne Crysostomo teste, alteram illorum depositionis, celebriorem non extitisse?

Idem dicas, oportet, factum in Latina Ecclesia, cujus rei sat erit unum producere S. Ambrosii exemplum. De ordinationis ejus die, præfatus ista scribit Baronius. [Non tantùm Latini, sed & *Ibidem ut supr. sub die VIII. Dec.*
„ Græci eamdem celebrant Solemnitatem, Natalemque dicunt,
„ ut constat, ex eorum Menologio hac die.] De obitus verò die, sub quarto Aprilis obsignata solemnitate, dicit. [De eâ- *Ibidem sub die 4. April.*
„ dem Beda hac die, & prid. Kalend. Aprilis, cœteri omnes hac
„ item die:]

Ex quibus omnibus sanè apparet, quàm inepta, ac nullius pon-

ponderis Adversariorum sint argumenta, quibus suadere volunt in Sacris Tabulis recensita SS. Confessorum Pontificum Natalitia, ad eorumdem tantùm ordinationes pertinere. Erant siquidèm in illis ipsa adnotata; sed præter illa adnotata etiam legebantur altera, & quidem solertia majori, diligentiorique studio, quæ in felicissimo depositionis illorum die observabantur. Cujus rei evidentissimum testimonium est, quod in ipsis Ecclesiasticis Tabulis, haud dubio ab antiquis acceptis, raro admodùm SS. Confessorum Pontificum assumptionis Natalitia recensentur; semper vero ea obitus, eorum adnotantur.

Quod si aliquando factum cognoscimus, ut Ecclesia, prætermissa, quodammodo obitus solemnitate, ut in Sanctis Basilio, & Ambrosio, alteram ordinationis ipsorum celebriorem habuerit; non ob id certè aliquid priori detractum voluit; imo unam cum altera cumulare potius intendit, quod seorsìm eas colere non potuerit. Et sicut Græci, ut paulò ante, ex Baronio retulimus, diei obitus S. Joannis Chrysostomi solemnitatem, in alteram diem, (quod impedita ea esset, ob Festum Exaltationis Sanctissimæ Crucis) transtulere; Sic Latina Ecclesia, ad SS. Basilii, & Ambrosii ordinationis diem, ipsorum mortis Natalitia rejecit: quod S. Basilii Natalis obitus, in die octavæ Nativitatis, & Circuncisionis Domini incideret: Et dies obitus S. Ambrosii, vel ab Hebdomada majori, aut Paschate, aut ipsius Octava, ut plurimùm impedita esset.

C A P. X I V.

Contra vetustissimum Sanctorum non Martyrum cultum, ex Sacris, quas adhuc habemus ipsorum reliquiis comprobatum, nil valere ad Adversariis proposita argumenta monstratur.

SI demùm illud producatur, contra id, quod ad adstruendum SS. non MM. perpetuum in universa Ecclesia cultum affertur: ipsum, nimirùm, apertè comprobatum iri, ab ipsis, quas ipsorum habemus, ac veneramur Sacris Reliquiis; cum excogitari penè non possit, qua ratione ad nos ipsæ pervenire, post diuturnissima Sæculorum spatia potuerint, si à majoribus studiosè servatæ, ac cultæ, nobis traditæ non fuissent; ipsique Majores no-

ſtri, uti cœtera fidelium corpora, indiſcriminatim ea condidiſſent, nec loco, nec cultu aliquo, ab aliis ſegregaſſent. Hæc (inquam) præſertim, quo ad Epiſcopos facilè rejici poſſe fortè dicent. Segregatus ſiquidem defunctorum Epiſcoporum cadaveribus locus tribui conſuevit; quare ubi deindè, qui inter illos extiterant ſanctitate præclari, coli, venerarique cœperunt; haud difficulter ipſorum corpora inventa, & ab oſſibus cœterorum, iſtorum lecta, ac venerationi fuere propoſita.

At id, quo ad Epiſcopos. Verum quid de Sanctis aliis, qui Epiſcopi minimè fuerunt ſentiendum exiſtimant, quorum reliquias æquè, ac illas Sanctorum Epiſcoporum, à majoribus traditas habemus? Unde illorum cuique, ac omnibus ſimul, & quidem tota Eccleſia ſegregatus locus tribui debuit; undè poſtea ab innumeris cœterorum fidelium cadaveribus, internoſci, ſelegique potuerint, ut fidelium cultui proponerentur; ac deinde à Majoribus colendæ illæ nobis traderentur? Tot SS. inquam Eremitarum, SS. Presbyterorum, Diaconorum, SS. Virginum, ac Mulierum reliquiis; ex qua lege, inſtitutoque Eccleſiaſtico, peculiaris locus primùm tributus, vel ubi poſtea colerentur, vel undè translatæ colendæ nobis pari honore tribuerentur? Cenſendum ſiquidem neceſſariò eſt, cum primùm ex hac vita migrarunt ſpeciali ſtudio, præ aliis, non modo ipſorum ſacra corpora curata fuiſſe; ſed res inſuper, quæ iiſdem uſui fuerant, ac uti reliquiæ ad nos uſque devenerunt, fuiſſe obſervatas; nam ſi ſervatæ non fuiſſent, quemadmodum aliorum Chriſtianorum ſervatæ non ſunt; qua ratione ad nos perveniſſent?

Ad id vero, quod de Epiſcopis aſſeritur, uti quod mox afferam exemplum oſtendit, ſemper eum morem, (ut ſegregato, nempe loco eorum corpora tumularentur), ſervatum non fuiſſe perſpicuum eſt. At fuerit; peto, an licet Epiſcoporum omnium corpora, uno, eodemque loco ſimul conderentur; ulterius tamen ipſorum unicuique in loco ipſo, vel alibi proprius loculus tribuebatur, vel potius indiſtinctè ea corpora locabantur? Si dicunt eodem loco indiſtinctè Epiſcoporum corpora fuiſſe condita; eadem emergit difficultas, ab invicem ea ſegregandi, quàm de Sanctis cœteris propoſuimus; & hinc impoſſibilitas Sanctorum, à non Sanctorum Reliquias ſecernendi, cum videlicet, ut contendunt, poſterioribus tantùm Sæculis, coli cœperunt. Si verò unicuique proprius loculus, tribuebatur; cur inter eos loculos, poſt duo, exempli gratia, vel tria Sæcula, cœteris aliis, qui Sanctorum non erant, pereuntibus, ii tantùm, qui Sanctorum erant, ſuperſtites fuerunt, & à Fidelibus obſer-

vati; si fideles iidem, cultu, ac veneratione eos minimè anteà prosequuti essent?

Denique eum morem, vel distincto loco Episcopos, tumulandi, vel segregato, peculiarique loculo eosdem condendi, semper servatum non fuisse; manifestè, ut innui, ostendit, quod apud Sophronium his verbis ab infirmo quodam sanato prolatis habetur. [Ex qua die (Abbatem Cosmam Eunuchum) sepelistis,

Vit. Pat. lib. X. pag. 40. pag. 805.

„ usque ad diem hanc, audio illum singulis noctibus clamantem,
„ & dicentem ad Episcopum: *Noli me tangere, Hæretice, ne ap-*
„ *propinques mihi, inimice Sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ*. Hæc ego audiens ab eo, qui sanatus fuerat, perrexi, & omnia ex or-
„ dine Patriarchæ retuli &c.] Sic ibi, ex quo, nimirùm, duo colligere est: Episcopum eum, nec in segregato cum aliis Episcopis loco, neque in segregato etiam loculo conditum fuisse. Non primùm, quia in eodem Episcopi sepulcro tumulatus fuit etiam Abbas Cosmas, qui Episcopus non erat. Non secundum, quia si saltem distincto loculo Abbas idem requievisset, non erat certè, quod clamoribus, tangentem se Episcopum ipsum, arcere vellet.

Quæ cum ita sint, velint, nolint, qui Sanctorum non Martyrum venerationem antiquitati Catholicæ detrahunt; fateantur necesse est, quod in Ecclesia Dei, Natalitiorum, Ecclesiarum, ac cujusvis demùm cultus amplissima gloria, semper fuit omnibus Sanctis ejus.

LAUS DEO,

Et omnibus Sanctis.

Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Psal. IX. vers. XV.

IN-

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI,

In quo, de veneratione Synagogæ primùm, deindè Ecclesiæ in Sanctos Veteris Testamenti potissimùm agitur.

IN-

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI,

In quo Sanctorum, non Martyrum, à Primo, usque ad Septimum Seculum, in Ecclesia Græca, & Latina cultus adstruitur.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP.

INDEX CAPITUM
LIBRI TERTII,
In quo Argumenta, contra veritatem superioribus Libris assertam, diluuntur.

CAP.

FINIS.







